

Universitätsbibliothek Wuppertal

De M. Valerio Probo Berytio

Aistermann, Josef

Bonnae, 1910

Caput quartum: De Probo Gellii auctore

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-3032

CAPVT QVARTVM: DE PROBO GELLII AVCTORE.

Inter eos qui Probi doctrinam retulerunt addito auctoris nomine, Gellius est testis singulari loco habendus ideo quod in eo non est dubium, utrum de M. Valerio Probo agatur an de iuniore illo Probo cuius memoria primum occurrit in Seruui commento in Donatum GL IV 413, 34 K: ‘quas regulas Probus artifex tuetur’. Quae uero Gellius secundum Berytium tradit, haec se comperisse confirmat ex Fauorino uel eius sectatore (III 1), ex Anniano poeta (VI 7), ex discipulis uel familiaribus Probi (I 15; IX 9; XIII 21), ex grammatico quodam nebulone (XV 30), cum ipsum Probum uel scripta eius afferat IV 7; VI 9; XV 30. De ratione qua Gellius auctoribus suis usus sit egit Ludouicus Mercklin in ann. Fleckeis. suppl. III (1857—1860) p. 633—710. Eandem rem tetigit J. Kretzschmer in dissertatione de auctoribus A. Gellii grammaticis a. 1860 edita. Postea leges ab his uiris confirmatas in unum conspectum contulit Lotharus Ruske in praefatione dissertationis de A. Gellii noctium Atticarum fontibus, Glaciae 1883. Atque exploratum esse uidetur illum quem inducere soleat Gellius grammaticum nebulonem ubique ficticium esse et in uniuersum constare 1) in singulis capitibus Gellio eorum quos fecit disserentes scripta ubique praesto fuisse, 2) singula capita ad unum auctorem reuocanda esse, 3) iis potissimum auctoribus Gellium usum esse in quorum lectione assiduum se fuisse profiteatur, illos uero ex hoc numero eximendos esse quos aut obscure aut nunquam laudauerit. His quae praemonuisse placebat propositis, de singulis capitibus Gellianis si quid in iis recte agnoscatur doctrinae Probianaee agendum erit.

GELLIVS I 15.

De Valerio Probo Sallustii interprete et uerborum eius emendatore supra diximus (p. 57 sqq.). Quod uero tamquam laudi tribuerit scriptori nouam uocem «loquentiam» feliciter fictam, in hoc aliter sentiebat atque Celsus, cuius sententiam ipse quoque Quintilianus reprehendit inst. or. VIII 3, 35: ‘audendum itaque; neque enim accedo Celso qui ab oratore uerba fingi uetat’ (fr. 13 Iustinus Woehrer, De A. Cornelii Celsi rhetorica, diss. phil. Vindob. 1903 p. 88).

GELLIVS III 1.

Secundum ea quae supra monuimus, disputatio quae hic tributa est ‘cuiquam de sectatoribus Fauorini qui uidebatur esse in litteris ueterator’ sumpta est ex ipso commentario Valerii Probi quem Gellius consuluit una cum Fauorino: qui, cum res displiceret, dubitare se dicit num re uera essent ex sententia Probi quae proferrentur, re autem perfecta assensioni non pepercit. Cuius rei simile schema inuenitur apud Gellium I 21, 4: ‘Sed enim cum Fauorino Hygini commentarium legissem atque ei statim displicita esset insolentia et insuauitas illius ‘sensu torquebit amaro’ risit et “Iouem lapidem” inquit “quod sanctissimum ius iurandum habitum est, paratus ego iurare sum Vergilium hoc numquam scripsisse” sqq.

De ratione Probi haec intelleguntur: Sallustianam quandam locutionem, quae non sine specie ueritatis uituperata erat, grammaticus ita defendit, ut apta interpretatione uerba historici explicaret et custodiret, hac potissimum ratione uelut fundamento nisus ut doceret sibi quidem constans esse genus scribendi, tamen data occasione et quo melius sententia exprimeretur, concedendum esse scriptori ut modum transgrederetur. Atque eodem modo quo supra (Gell. I 15, 18) in Sallustio ἀντίθεσιν, hic περιφράσιν intellegi uoluit.

GELLIVS IV 7.

Probus quaestionem tetigit in qua multum uersati erant grammatici Latini, cum dubitaretur quam declinationem sequi deberent nomina peregrina. Quaestionem adiit duce Varrone qui ita hac de re disputauerat in libro X de lingua Latina (70): ‘† De genere multi utuntur non modo poetae sed etiam plerique haec primo omnes qui soluta oratione loquuntur dicebant ut Quaestorem Praetorem sic Hectōrem Nestōrem; itaque Ennius ait: Hectoris natum de Troiano muro iactari. Accius haec in tragediis largius a prisca consuetudine mouere coepit et ad formas Graecas uerborum magis reuocare [et] a quo Valerius ait: Accius Hectorem nollet facere, Hectora mallet. Quod aduenticia pleraque habemus Graeca, secutum ut de nothis Graecanicos quoque nominatus plurimos haberemus.’

Si legem respicias quae iubet Hannibālem pronuntiari, Probus hac in re omnino a parte analogiae esse uidetur, ita ut Probus artigraphus plane Probi Berytii doctrinam referre uideatur GL IV 127, 3 K: ‘Quaeritur qua de causa Hannibalis a littera,

quam habet ante ultimam syllabam, producto accentu pronuntietur. hac de causa, quoniam quaecumque nomina generis masculini nominatiuo casu numeri singularis ‘al’ litteris definiuntur, haec eadem a litteram quam habent ante l ultimum constitutam, secundum rationem sonorum necesse est ut per omnes casus producant.’ Tamen quantum Berytius distet ab iis qui similitudinem quasi supremam sermonis legem pronuntiabant, cognoscas si argumentum respicias quo nitatur in hac quaestione. Nam illi qui proportionis leges custodiebant, quorum rationem Varro retulit, Nestōrem dici debere statuebant quia diceretur quaestōrem, cui figure nomen Graecum consimile uideretur; sic recta pronunciatione ratione ac uia demonstrata Ennii uersus tamquam exemplum subicitur. Probus nero, similitudini declinationis nihil auctoritatis concedens, in ipsam inquirebat nominis pronunciationem, cuius normam iudicabat esse pronunciationem ueterum. Quam ubi, perpenso numero ac metro, inuenit esse Hannibalem paenultima circumflexa, statuit et hanc ueram declinationem nominis et hanc ueram syllabae mensuram esse. Quam Probi rationem, quae illi grammatico sane peculiaris est, prolatam legimus in tractatu [Probi] de ultimis syllabis GL IV 222, 28 K: ‘natura syllabarum breuium atque longarum in nominibus ceterisque orationis partibus per ordinem nulla potest ratione artis comprehendi, sed sola auctoritate inuestigari potest’; cf. Pomp. GL V 106, 25—107, 25 K.

Cognouimus ergo Probum in uniuersa grammatica leges uerborum non deduxisse a regulis aut a proportione, sed a uetere spectatorum scriptorum usu; et in ea parte quae est de mensura syllabarum, eum deduxisse leges non ex ratione nominis ipsius uel similium, sed ex auctoritate poetae qui illud nomen in metrum comprehendisset. Quae cum ita sint, statuere licet eum tribus rebus quasi fundamentis usum esse: 1) eum existimauisse ueteres poetas in pangendis numeris secutos esse uigentem pronuntiandi modum, quippe qui grammaticae regulas non nossent, 2) usum pronuntiandi solam esse normam mensurae syllabarum (cf. ad Gell. IV 17), 3) accentum qui in numeris esset ueram et communem pronuntiandi rationem ostendere; cuius sententiae Probianae alia leguntur exempla apud Gell. VI 7, 3, ubi ‘áffatim’ recte pronuntiandum esse docetur, quia ita posuerit accentum Plautus in uersu (Cistell. 231) ‘aliorum áffatim est’; itemque § 4 ‘exáduersum’ pronuntiandum esse, quia ita accentum posuerit Terentius (Phorm. 88) ‘exáduersum loco’.

In illa igitur quaestione de declinatione nominum peregrinorum in sermone Latino Probum cum his sensisse appareat, qui talia uocabula Latina lege uti debere affirmarent, ubicumque figura nominis ita comparata esset, ut declinationi Latinae accommodari posset. Quae sententia exposita est apud Quintilianum I 5, 59, quem locum ad Berytum retulit Ludouicus Radermacher Rh. M. 60 (1905) 244.

GELLIVS VI 7.

Res aeque comparata est atque in capite IV 7, ubi legebantur haec: 'Valerius Probus . . . pronuntiabat, . . . Enniumque multosque alios ueteres eo modo pronuntiassse affirmat.' Similia hoc loco: 'is (Annianus poeta = Probus) . . . pronuntiabat atque ita ueteres locutos censebat.' Atque haec est omnis argumentationis uia: 'áffatim' et 'ámodum' recte prima acuta pronuntiantur ideo quod ueteres ita locuti sunt. Veterum autem quae fuerit pronuntiatio demonstrari posse affirmat grammaticus uersibus recte legendis. Hoc pacto re comprobata rationem subicit hanc: 'affatim', si originem respicias, ex duabus partibus orationis constat 'ad' et accusatiuo nominis quod est 'fátim'¹⁾, ita ut pronuntiandum esset 'ad fátim'; cum uero hae duae partes ui pronunciationis in unam partem coaluerint, una autem pars orationis non nisi uno accentu niti possit²⁾, mutato accentu³⁾ prima noui aduerbi syllaba acuitur: affatim. Quoniam uero secundum legem Latinam antepaenultima acui non potest nisi correpta paenultima, Probum syllabam 'fa' breuem esse existimauisse necesse est⁴⁾. Argumentatione facta subiungit consimile 'exáduersum' ipsum quoque uersu Terentiano comprobatum. Omnem argumentationem Probi in eo positam esse intellegitur quod censuerit ueteres poetas uerum uerborum accentum et ictum metri consociasse (cf. supra

1) Charis. GL I 93, 26 K 'alii unius tantum casus sunt, ut hand secus, ad fatim, ad incitas, infitias seqq.'

2) Diom. GL I 433, 30 K = Donat. GL IV 371, 22 K: 'in compositis dictionibus unus accentus est non minus quam in una parte orationis, ut malesanus, interrealoci.' cf. Serg. de accent. GL IV 483, 35 K; Charis. GL I 201, 3 K.

3) Don. Eun. II 2, 24: INTERREALOCI duae partes orationis cum coniunctae unam fecerint, mutant accentum' cf. Priscian. GL II 440, 5 K; Quintil. I 5, 27 seq.

4) Prisc. GL III 75, 7 K: 'a fatu affatim, uel magis a Graeco ἀφάτως id est abunde, unde et corripitur 'fa'.

ad Gell. IV 7). Disputationis uero Probianaæ haec cognoscitur ordinatio :

qui sit proprius et uerus sermo proponitur
hic talis esse confirmatur adlata auctoritate ueterum
rei sic comprobatae causae et rationes subiciuntur
analogon quod dicitur additur.

GELLIVS VI 9.

Totum caput eum quem supra exposui disputationis ordinem exhibet: Res de qua agitur proponitur et exemplis ueterum comprobatur (§ 1—12), tum causae et rationes subiunguntur (§ 13—15: ‘Ratio autem istarum dictionum haec esse uideri potest seqq.’), postea analogon additur (§ 16—18: ‘Praeterea inueni a uerbo ‘scindo’ simili ratione non ‘sciderat’ sed ‘sciciderat’ dictum esse’). Accedit quod ea quae § 13—15 exponuntur de affinitate perfecti Latini cum praeterito Graeco quod *παρακείμενον* uocatum sit, conueniunt cum iis quae addito Probi nomine disputata sunt apud Priscianum GL II 445, 20 sqq. K. De ratione Probi hoc intellegitur eum sermonis Latini condiciones, uelut hic reduplicationem perfecti subiecta uocali e, explicuisse et comprobauisse ex similitudine sermonis Graeci.

GELLIVS IX 9.

Quin totum caput ex Probi commentario adsumptum esse adfirmemus, huic rei non obstat quod posteriori tantum parti nomen Valerii Probi additum legitur; nam compertum est Gellium in singulis capitibus perscribendis unum fere secutum esse auctorem (uide p. 115); praeterea scriptorem non mediocrem partem operis sui ex Probi copiis uel ad uerbum descriptissime omissio nomine auctoris intelleximus cum de capite II 6 disputaremus (p. 128 adn. 2). Atque re uera sic factum esse in hoc quoque capite IX 9 argumentis confirmare licet. Etenim omni disputationi præposita et aperte definita legitur illa sententia quae Probi esse cognoscitur ex adnotatione ad Eun. I 1, 1⁷: ‘NON EAM NE NVNC QVIDEM “non eam” Probus distinguit; iungunt qui secundum Menandri exemplum legunt’: iudicat uidelicet grammaticus non omnia omnino uerba in eum in quem a Graecis dicta sunt modum uertenda esse. Id quod Horatius iam præceperat in arte poetica 133: ‘nec uerbo uerbum curabis reddere fidus interpres’¹⁾ neque omnino Probum Horatii

1) Cic. de fin. III 4, 15 ‘Nec tamen exprimi uerbum e uerbo necesse erit, ut interpretes indiserti solent.’

placita neglexisse intellegitur ex iis quae apud Diomedem GL I 400 sqq. K (= GL V 325, 25 K ex cod. Lauantino 24) seruantur exposita secundum Valerii Probi doctrinam (Henricus Keil GL I praef. p. LIV; Frid. Vollmer, Philol. Suppl. X p. 267). Praeterea cum de Probo Terentii interprete disputaremus (p. 34 sq.) intelleximus Donatum, ubi Terentium ita defendit ut 'scite' eum ab exemplo Graeco recessisse contenderet, sententiam auctoritatemque Valerii Probi retulisse. Atque eadem critici uoluntas qua Probum in Terentio usum esse cognouimus, nunc conspicua est in existimando Vergilio (Gell. IX 9, 3): 'Scite ergo et considerate Vergilius, cum aut Homeri aut Hesiodi aut Apollonii aut Parthenii aut Callimachi aut Theocriti aut quorundam aliorum locos effingeret, partim reliquit, alia expressit.' Tali igitur sententia de officio poetae exemplum Graecum in Latinum uertentis praeposita tres loci ex carminibus Vergilii perpenduntur; atque duobus (ecl. III 64 et IX 23) laudatur poeta quod non ad uerbum Theocritum transtulerit, cum ad Aen. I 498 sq. uituperetur Vergilius quod loco Homeri ad uerbum in usum suum conuerso nec loca nec tempora nec condiciones respexerit, cum habitum et ornamenta Diana uenatricis tribuisse Didoni reginae (cf. p. 13; 62). Inde a § 12 ('solitum eum dicere') uerba ipsa Probi ex quodam libello uel commentario a Gellio descripta esse putandum est; (cf. § 14 'id uisum esse dicebant Probo' et § 15 'Probum demiratum esse dicebant'). Ea porro quae leguntur inde a § 16: 'Praeter ista omnia florem ipsius totius loci Vergilium uideri omisisse' aperte repetunt illud iudicium § 2 prolatum: 'Perdunt enim gratiam pleraque, si quasi inuita et recusantia uiolentius transferantur': ita ut de Probo totius Gellii capit is auctore iam non dubites. Id quod non leuis momenti est, nam sic edocemur Valerium Probum non mediocriter uersatum fuisse in Graecis litteris quippe qui seriem illam poetarum Graecorum (§ 3) Theocritum maxime et Parthenium (cf. ad Gell. XIII 27) adhibuerit ad interpretandum poetam Latinum. Berytum denique georgicorum fontes Graecos, mythorum uidelicet auctores, quaerentem ostendit Macrobius Sat. V 22, 9. (de Probi litterarum Graecarum studio cf. p. 76 sq.). — Omnino similis Vergilii reprehensio legitur apud Seru. Aen. I 92 = fr. VII.

GELLIVS XIII 21.

Utitur ille qui hoc in capite de dubia declinatione disserit, hac regula: eam esse ueram declinationis figuram quam quoque loco commendauerit suauitas soni, neglecta omnino ipsius nominis

lege ac natura. Eum uero qui talem disputationem per totum caput sustinet Probum esse inde intellegitur, quod disputationis, quam instituisse grammaticus ille a Gellio perhibetur, ratio atque argumentum per totum caput sibi constat. Hoc quoque recte protuleris argumentum quod Probus, ubi discrimen est inter duo quae idem ualent, utrumque solet iubere nexui uerborum inseri quo magis eluceat suauitas soni (§ 4 „urbisne inuisere Caesar, terrarumque uelis curam“. Verte enim et muta, ut „urbes“ dicas: insubidius nescio quid facies et pinguis'). Hoc enim praeceptum quod omni argumentationi subiectum cernitur (§ 4 uid. supra; § 10 ‘ut si aliter dixeris mutauerisque sqq.’; § 12 ‘si mutes “haec” et “hic finis” dicas’) commendatum legitur in fine capitinis § 25 ‘nam si alterum in alterius loco ponas, utrumque feceris sonitu insuaue’, unde cognoscas totam hanc de dubia declinatione disputationem unius esse grammatici i. e. Probi, eumque hac in re secutum esse grammaticos Graecos, commentatores Homeri. Idem de hac uocalitatis ui iudicium legitur apud Quintilianum I 5, 4: ‘sola est quae notari possit uelut uocalitas quae *εὐφωνία* dicitur: cuius in eo dilectus est, ut inter duo quae idem significant ac tantundem ualent, quod melius sonet, malis.’ Sed quae ib. I 5, 14 leguntur: ‘Quid quod quaedam, quae singula procul dubio uitiosa sunt, iuncta sine reprehensione dicuntur’, ea proxime accedunt ad Probianam sententiam (Gell. XIII 21, 5): ‘tanta quippe iuncturae differentia est in consonantia uocum proximarum.’

Sed fuitne hoc Probi inuentum uel omnino propria quaedam sententia? Nonne Cicero docuerat (orat. 48, 159): ‘Voluptati autem aurium morigerari debet oratio’ et (ib. 44, 150): ‘... aures quarum est iudicium superbissimum?’ Nonne Plinius, cum de regulis sermonis ageret, Varronis praeceptis ‘suauitatem aurium’ addiderat? (Charis. 123, 3; I. W. Beck p. 20; cf. Fridericus Goetting, De Flauio Capro Consentii fonte, diss. Regimont. 1899 p. 36). Ad quod respondebimus sane Ciceronem et Plinium ita dixisse, sed ad aures quasi arbitros eos non recurrendum esse putauisse nisi in iis rebus quae ad pronuntiationem pertinerent uel cum ea coniuncta essent; (cf. Cic. orat. 49, 162: ‘Sed quia rerum uerborumque iudicium prudentiae est, uocum autem et numerorum aures sunt iudices, et quod illa ad intelligentiam referuntur, haec ad uoluptatem, in illis ratio inuenit, in his sensus artem. — 163 Duae sunt igitur res quae permulcent aures, sonus et numerus’). Sed quantum distet ab hac ratione quae in ipsa rerum natura posita esse uidetur, illa grammatici quasi audacia

qua non modo de sonis exigendis, sed etiam de genere et declinatione nominum uocalitatem dijudicare uoluerit, nemo non uidet¹). Quantopere denique Berytii ratio seiuncta fuerit ab institutis Plinii ex eo imprimis colligitur, quod Probus sublata omni necessitudine qua quid solum et unum rectum definiatur, accipiendas esse docuit uarias singulorum nominum figuras, quarum quae quoque loco apte ponatur, solius euphoniae lege discerni uoluit; sicuti modo 'tres' modo 'tris', modo 'haec finis' modo 'hic finis' recte a Vergilio positum esse docuit. Qua ab ratione ita diuersa erat Plinii sententia, ut uniuscuiusque nominis uam tantum figuram commendaret tamquam rectam, lege euphoniae hactenus usus, ut eam inter regulas reciperet quibus uera nominis forma explorari posset; sicuti ex Charisio GL I 55, 21 K (Beck p. 20) intellegitur: 'Amforum an amforarum dicendum sit quae-ritur. (amforum in consuetudine est). sed cum eadem suauitas in utraque enuntiatione (sit, non uideo quare quis bar)barum malit, cum aures simili pretio recta dilecent. (dicemus igitur am-forarum).' Quae diuersitas Plinii et Berytii ut cognoscatur, apte adtulerit quispiam uerba Charisii GL I 129, 17 K (Beck p. 7) ubi Plinius de ipso accusatiuo in 'im' definiuit de cuius dubia figura Probus disputauit; haec enim leguntur apud Charisium: 'Febrim ut tussim sitim, ait Plinius. exceptis his tribus cetera accusatiuo in em exeunt' (cf. Charis. 122, 29 [Beck p. 9] 'ac ne illa quidem ratio recepta est quam C. Caesar ponit in femininis, ut puppim restim peluim; hoc enim modo et ab hoc cani dicemus et ab hoc iu(ueni, pani); cf. Prisc. GL II 329, 3 K). Itaque qui fuerit ille grammaticus, in quem incesserit Valerius Probus (Gellius XIII 21, 1) cum 'finitiones illas praerancidas et fetutinas grammaticas' diceret, non iam dubites; (cf. praeterea Charis. 141, 16 [Beck p. 25]: 'Pacium an pacum et lucium an lucum ad-dubitari etiam nunc ait Plinius 'quoniam nec fitionem ullam in monosyllabis' inquit 'grammatici temptauerunt'; cf. Probi inst. GL IV 95, 30 sqq. K²) et uide p. 84 in fine.)

1) de *εὐφωνίᾳ* studio quae fuisset eius origo apud Graecos, quiique maxime eius laudis probatores extitissent, disseruit concisis uerbis Balduinus Heinicke l. s. p. 39 adn. De Latinis grammaticis cf. praeterea Donat. GL IV 379, 2 K; Priscian. GL II 372, 6; Consentius GL V 354, 17 K; Augustin. reg. GL V 517, 1 K.

2) Berytii doctrina de dubio genere uocis 'finis' adlatis iisdem uersibus Vergilii refertur in [Charisii] excerptis GL I 555, 25—30 K. cf. [Serg.] explan. Don. GL IV 539, 4 K; Charis. GL I 89, 4 K, praeterea 'turem et turrim', sicut Berytius, commendat auctor [Charis.] excerptorum GL I 542, 29 K.

Hoc igitur Gelliano in capite Berytii in prouincia nos uersari cum cognouerimus, ne miremur nos uestigiis illius ubique occurrere uelut § 16 ‘hoc enim scriptum in uno atque in altero antiquissimae fidei libro Tironiano repperi’, quibuscum conferas Probi uerba § 4. Nec non ille quem cognouimus ordo argumentationis Probiana reperitur, secundum quem re ex uocalitate sonitus probata et auctoritate ueterum confirmata subicitur ratio et causa § 18: ‘Huius autem uocis cum elegantior hoc in loco sonus est, tum ratio certa et probata est’, et § 14, ubi illi uocalitatis argumento uelut supplementum subiungitur similitudo sermonis Graeci. Addas quod ‘hic fretus huius fretus pro fretum freti’ de quo actum est § 15, adlato exemplo Ciceronis legitur apud Priscianum GL II 170, 3 K inter ea nomina quae se excerpssisse confitetur grammaticus ex Capri et Probi libris de dubiis generibus GL II 171, 14K. Quibus argumentis duo denique subiungenda sunt ex Seruui commento. Etenim integra Berytii sententia de ui uocalitatis legitur ad Aen. I 480: ‘Sciendum tamen est, licet alia euphoniae causa uariantur uel in generibus uel in numeris ‘nactus’ tamen et ‘passus’ ‘n’ penitus numquam accipere’, ubi illud ‘nactus’ (Prisc. GL II 513, 7 K ‘nactum ... absque n, ut Probo ... placet’) et ‘passus’ (cf. ad Gell. XV 15) Probi doctrinam aperte ostendunt. Eodem pertinent quae Seruius adnotauit ad Aen. XII, 95: ‘VOCATVS HASTA MEOS inuocationes et preces: nam appellatio est a uerbo quae semper aut in ‘io’ exit, aut in ‘us’; si in ‘io’ exeant, tertiae sunt formae; si in ‘us’ quartae, ut ab eo quod est ‘lego’, aut ‘lectus’ aut ‘lectio’ facit. Sed hoc nos dicimus quod *εὐφωνότερον* fuerit: sicut nunc ab eo quod est ‘uoco’ ‘uocatus’ fecit, non ‘uocationes’.’ Quae prope accedunt ad ea quae § 19–20 disputata sunt apud Gellium.

De uniuersa igitur ratione Probi, ut calculos subducamus, hoc comperimus Probum in probando sermone ad eam quae dicitur *εὐφωνία* quasi summi discriminis custodem recurrisse; atque hac in re recte se sentire, id confirmari arbitrabatur exemplo ueterum, Ennii uidelicet Lucretii Ciceronis Vergilii, qui eadem usi essent sententia ac regula.

GELLIVS XV 30.

Gellius eum quem fingere solet molitorem disputationis inducit dicentem Valerium Probum uocabulum ‘petorritum’ e Graeco sermone duxisse quasi ‘petorrotum’. Contra quem ipse Gellius disputans confirmat Probum haec nunquam docuisse.

Atque consimile quoddam schema conspicuum est III 1, 5—6, nisi quod ibi non ipse Gellius, sed Fauorinus alterum illum coarguit eum falso Valerio Probo sententiam adtribuisse. Ipsa uero haec disquisitio, quae est de Graeca Gallica Hispanica origine uocum, comparanda est cum iis quae Quintilianus disserit I 5, 57: ‘plurima Gallica eualuerunt ut ‘raeda’ ac ‘petorritum’, quorum altero tamen Cicero, altero Horatius utitur. et ‘mappam’ circa quoque usitatum nomen Poeni sibi uindicant et ‘gurdos’ quos pro stolidis accipit uulgus, ex Hispania duxisse originem audiui.’ Atque id certe intellegitur ex Gelliano capite, Valerium Probum hoc de argumento quaesiuisse; id quod nouisse refert, nam ea, cuius partem descripti, de origine uocum peregrinarum disputatio apud Quintilianum excipitur (I 5, 59) altera quaestione de declinatione nominum peregrinorum quae exorditur ab his uerbis ‘ac si reperias grammaticum ueterum amatorem’, ubi Valerium Probum intellegendum esse Ludouicus Radermacher in editione adnotauit et in Rh. M. 60 (1905) 244 probauit.

GELLIUS I 7.

Cfr. Hosius ed. Gell. praef. p. XXIII (‘ex Probo’).

Ratio erat Probi ut uerba tradita scriptorum apta interpretatione tueretur; id quod sicuti fecit in Sallustio (Gell. III 1) et in Vergilio (Seru. buc. VI 76), ita nunc facit in Cicerone. Tum eodem modo hic (§ 1) liber spectatae fidei Tironiana cura atque disciplina factus affertur quomodo in disputatione Probi (Gell. XIII 21, 16). Deinde ipse Valerius Probus quasi nomine designatur a Gellio, ubi (§ 4) hic more suo uelut defensorem argumenti ‘amicum’ infert hac notatione: ‘homo lectione multa exercitus cui pleraque omnium ueterum litterarum quaesita meditata euigilataque erant’, quae penitus congruere cum iis quae leguntur IX 9, 10 ‘Valerii Probi, docti hominis et in legendis pensitandise ueteribus scriptis bene callidi’ nemo non uidet. Addas quod disserendi modus quo utitur Gellii auctor § 16: ‘ita scriptum esse a Cicerone dicebat atque ita ipse lectitabat’ idem est atque ille Probianus (Gell. I 15, 18): ‘sic legere coepisse et sic a Sallustio relictum affirmauisse’. Denique Probum ipsum disserentem audire tibi uideris § 20: ‘illud enim sic compositum iucundius ad aurem completiusque . . . si modo ita explorata aure homo sit, non surda nec iacenti’, si contuleris Probianum illud apud Gell. XIII 21, 10: ‘ea iudicii subtilitate, ut si aliter dixeris mutauerisque et aliquid tamen auris habeas, sentias suavitatem sonitus claudere.’

Rationem disputationis si respexeris, eum quem cognouimus ordinem Probianum inuenias eumque amplificatum: uerbis Ciceronis, de quibus controuersia est, propositis (§ 1—2) quid in iis reprehenderint obtrectatores exponit (§ 3—4), apta interpretatione et exemplis uesterum allatis recte ita Ciceronem dixisse comprobat (§ 4—8), rationem subicit ('uidetur ea ratione positum esse') similitudine sermonis Graeci in comparationem uocata (§ 8—9), similia exempla addit (§ 9—12). — Altera deinde disputatione 'eiusdem illius amici nostri' excipit priorem perinde comparata: (§ 16) respicit enim ille 'amicus' quid habeant libri, similitudinem Graecam ostendit, Plauti exemplo rem comprobat, rationem subicit argumento usus petito ex uocalitate illa quae *εὐφωνία* dicitur.

Tota hac disputatione Probi considerata si quaeras quid tandem hac in re sibi proposuerit Berytius, intellegas Probum noluisse accipere soloecismos qui a grammaticis notari solebant (Quint. I 5, 11: 'sed quidam fere in iactationem eruditionis sumere illa ex poetis solent et auctores, quos praelegunt, criminantur')¹⁾. Qua in re conferendus est liber quartus Charisii, ubi inter soloecismorum exempla nonnullae enumerantur locutiones, quas Probus soloecismos esse negauerat. Veluti sententiae Charis. GL I 266, 33 K: '(fit soloecismus) per genera nominum (ut) "haec finis Priami"' (Aen. II 554) pro "hic finis", oppositum est iudicium Probi apud Gell. XIII 21, 12: 'Sed in illo quoque itidem Vergilii uersu "haec finis Priami fatorum" si mutes "haec" et "hic finis" dicas, durum atque absonum erit respuentque aures quod mutaueris.' Tum quae leguntur apud Charis. GL I 267, 10 K: '(fit soloecismus) per tempora, ut (Aen. III 2) "ceciditque superbum Ilium et omnis humo fumat Neptunia Troia" pro "fumauit", cum iis conferenda est sententia Probi (Seru. ad Aen. III 3): 'ait Probus ad discernendum tempus circumflectendam ultimam syllabam, ut intellegamus "fumauit". Denique ad Charisii rationem GL I 267, 2 K: '(fit soloecismus) per numeros ut (Aen. I 212) "pars in frusta secant" conferenda est Probi disputatione (Gell. I 16 uid. infra) de 'mille occiditur'.

GELLIUS I 16.

Cfr. Hosius ed. Gell. praef. p. XXIV; Frid. Marx, Proleg. ad Lucil. p. LXXVIII: 'Aliis tamen locis Gellius scribit ueluti

1) cf. Tolkiehn, 'Q. Remmius Palaemon über den Soloecismus', Woch. f. klass. Philol. XX (1908) 554.

Lucilius in tertio satyrarum sicuti I 16, 2 quod caput fuere qui Probo tribuerent nec errarunt opinor.'

Ex capitibus IV 7 maxime et XIII 21 cognouimus Probum in existimandis legibus, proprietatibus, ui sermonis omnino neglexisse definitiones et placita grammaticorum. Relicto igitur fundamento quo ceteri nitebantur grammatici, noua ei subsidia comparanda erant. An ueterum scriptorum, quos integrae Latinitatis quasi custodes arbitraretur, satis certa erant uerba libris tradita quibus ueluti regulis uti possit? Quas ambiguitates ut tolleret, eum recensiones fecisse supra p. 9 diximus. Restabat uero alter scrupulus quem inicere poterat analogia: ueteres idoneos testes non esse qui rudi necdum polita et exculta lingua scripsissent et [poetarum maxime usi essent locutionis genere quod a propria dicendi ratione non numquam recederet. Probi ergo fuit demonstrare ueteres nequaquam 'licenter' ¹⁾ neque de poetarum figura' scripsisse, sed 'ratione certa et proba grammaticae disciplinae' et idcirco testes esse ualidissimos. Id quod fecit Probus hoc loco. Et interest uidere quomodo rem instituerit grammaticus qui hoc in discrimine uti non potuit eo quod adhibere solebat argumentum, testimonium dico ueterum, cum id ipsum ualidumne esset necne quaestio esset. Cauendum ergo erat ne quid probaret ex re quae ipsa erat probanda.

Rem igitur ita instituit: priore parte disputationis negat Quadrigarium aut licenter aut de poetarum figura locutum esse, cum demonstret non agi hac in re de singulari quadam dictione per licentiam posita, sed de communi eodemque in omnibus scriptoribus usu. Inde haec silua ²⁾ exemplorum ipsi capitii praemissa qua aduersarium quasi obruerit. Subicit uelut maximum argumentum similitudinem Graecam, eandem ostendens rationem cerni in eo quod est *χιλιάς*. Altera parte disputationis demonstratur certa ratione niti Quadrigarii locutionem ideo quod 'mille' sit uocabulum id est nominis species siue appellatio (uid. Quint. I 4, 20), id quod inde intellegatur quod casu genetiuo coniunctum sit et quod ipsum in casus declinetur et pluratiuum formam figuret. Denique quo magis nobis persuadeatur, simile

1) cf. Plinii uerba (Charis. GL I 118, 19 sq. K; p. 56 Beck) 'quod si manus ueterum licentiae porrigemus, potest et [copies et obseruanties et benevolenties dici.'

2) Animum aduertas unum exemplum attulisse satis habere Probum (Gell. IV 7, 3: 'solius tamen Ennii uersum unum ponit') ubi agebatur tantum de dictione quadam probanda.

Ciceronis exemplum subicitur: ita ut in hac quoque disputatione, quae tamen propria quadam est indole, ordo Probianus agnoscatur 1) proposita exempla ueterum (§ 1—6) 2) subiecta ratio et euocata similitudo Graeca (§ 6—14) 3) similis alias scriptoris usus (§ 15).

Vellem plures huius generis seruari disputationes quae specimen praebeant eius studii quo fundamenta posuit Probus quibus exstrueretur omnis ratio eius grammaticae quae pendebat ex sanctitate illa ueterum scriptorum. Atque ualidissimo uti argumento sibi uidebatur cum affirmaret dictioni Latinae 'mille' consimile esse Graecum $\chi\lambda\mu\alpha\varsigma$. Ex quo intellegitur putauisse eum cognitionem quandam intercedere inter utramque linguam, ita ut in consensu Graeci et Latini sermonis non leue rectae loquendi rationis argumentum positum esse iudicaret, quo uera et ingenua Latini sermonis figura a ueteribus scriptoribus custodita confirmaretur¹⁾. Quae si recte disputauimus, iam dubium non erit cui auctori tribuendum sit caput Gellii II 3 quo agitur de aspirationis usu ueterum Latinorum cum Atticis consentiente. (cf. Probi lectiones [georg. I 277] Horcus, non Orcus [p. 42], uehemens, non uemens [Terent. Scaur. GL VII 19, 14 K; uid. p. 104]).

GELLIVS II 6.

Quo de capite Otto Ribbeck in Prolegomenis ad Vergilium p. 144 haec disserit: 'Defendit enim (Probus) quod ecl. VI 76 legitur "uexasse rates" ut non per $\tau\alpha\pi\epsilon\iota\omega\sigma\tau$ sed propria uerbi ui dictum: defendit autem, nisi fallit coniectura, contra Cornutum qui cum apud Gellium II 6 eisdem fere uerbis refutetur, non nimis audax suspicio erit, hunc quoque Probi commentarium non nominato ut alias auctore excerptisse, et a familiari quodam Probi Gellium sua accepisse Kretzschmerus quoque p. 92 statuit. Id uero qui probauerit, etiam illud concedet, reliquam apud eundem de 'inlaudati' ge. III 5 et de 'squalentem' Aen. X 314 uocabulorum usu contra Cornutum disputationem eidem Probo nostro deberi.' (cf. Hosius ed. Gell. praef. p. XXV.) Itaque quae de Probo totius disputationis Gellianae auctore efficiantur, haec sunt: Principium quoque capitinis Gelliani ex Probo esse uel, ut ita dicam, tres locos Vergilianos a Cornuto uituperatos in Probiana iam commentatione congestos esse atque a Berytio contra illum

1) atque refert ut declaretur quibus institutis imbutus philosophicis Berytius accesserit ad grammatica studia; quod munus praestare possit is qui excussa omni Valerii Probi memoria doctrinam eius enarraturus sit.

castigatorem (uid. p. 67 adn. 2) defensos, neque primum Gellium Probi auctoritatem contra Cornuti obtrectationem mouisse, docent uerba Seruui ad buc. VI 76: ‘nam non uexauit sed euertit (qua in re posita erat Cornuti obiectio [Gell. II 6, 2]), quod Probus uult hac ratione defendere sqq.’, ubi Gellius Probi nomine remoto suae eruditionis simulatam speciem supposuit: (§ 5) ‘sed de uerbo uexasse ita responderi posse credo.’ Neque minus illas de ‘inlaudati’ et ‘squalentem’ disputationes quae uerbi ‘uexasse’ defensionem excipiunt, Probo tribuendas esse his de causis credas oportet, quod eas procedere appetet ex eodem de sermone Latino et de Vergilio poeta iudicio quod in Probo cernitur § 5—7, dein quod disputationis ratio aequa est comparata, denique quod omnino Gellium unum auctorem sequi in singulis capitibus consribendis post Mercklinium concedunt plerique.

Viam autem disputationis Probus secutus est eam ut demonstraret propriam uerbi ‘uexari’ significationem esse ‘rapsari uel distrahi’ (§ 5) quae reperiatur in prisco sermone (§ 7—8); recentem autem loquendi consuetudinem inquinatam¹⁾ esse et ideo argumento esse nequire (§ 6). Qua in re quae attulit similia uerba, uelut ‘taxare, quassare’, ea adsumere potuit ex Verrio Flacco (Fest. p. 356, 21; p. 261, 16). Atque eadem est defensionis uia in uerbo quod est ‘squalentem’. Etenim uera significatio uerbi ostenditur (§ 20) supposita auctoritate Verri Flacci (Kretzschmer l. s. p. 72) cuius doctrinam seruauit Festus Pauli ope restitutus p. 382, 5: ‘[squalidum in]cultum et sord[idum ait Verrius significare, sic dic]tum quod proxime [ad similitudinem squamae pi]scium accedit [certe eorum qui in profunditate ab]diti paludum squ[alent maxime.]’ Exempla ueterum afferuntur (§ 21—24), deinde multo assiduoque usu uerbum contaminatum esse affirmatur (§ 25)²⁾. Neque aliter

1) ut ‘corruptum’ (*διερθαλμένον*) notari solebat Asianorum dicendi genus ab iis qui illos impugnabant; cf. Strabo XIV 648 Hegesiae sermonem notans: *ἡρξε μάλιστα τοῦ Ἀσιανοῦ λεγομένου ζήλον παραφθείσας τὸ καθεστώς ἔθος τὸ Ἀττικόν* (cf. Quintilianum I. s. et VI 3, 107 et X 1, 100, nec non Cic. de opt. gen. or. 8). Ex scriptis Senecae patris qui eo uocabulo plerumque utebatur, locos collegit E. Norden, *Kunstprosa* I 267 adn.

2) Eadem quae Gellius tradit § 20—25 leguntur apud Sei. um ad Aen. X 314: “squalentem auro” splendentem auro: et significat copiam densitatemque auri in squamarum speciem intexti: squalere enim dictum a squamarum crebritate atque asperitate, quae in serpentum pisciumue coriis uisuntur: alibi (XI 770) “quem pellis aenis in plumam squamis auro conserta tegebat” et alibi

comparata est altera pars eius disputationis qua usus uerbi ‘inlaudati’ defenditur, qua in re iterum niti potuit auctoritate Verri Flacci; etenim ad II 6, 16 ‘Laudare significat prisca lingua nominare appellareque’ conferendus est Paul. Festi p. 118, 3: ‘LAUDARE ponebatur apud antiquos pro nominare.’

Superiorem disputationis partem (§§ 9—15) ut Probo tribuamus, primo obtutu alio argumento commendari non uidetur nisi quod eodem Gellii capite comprehensa sit similitudine materiae coniuncta. Plane enim differt ratio. Non enim priscae linguae exemplum affertur, non poetae Latini ueteres tamquam testes excitantur, sed philosophica quadam dissertatione dictio defenditur, allatis exemplis Graecis, prouerbio scilicet, Homero, Epicuro. Atque hac fere ratione procedit argumentatio: ‘Nemo tam improbus est quin interdum faciat aut dicat aliquid quod laude dignum sit (quae sententia prouerbio Graeco probatur); unde sequitur eum qui ‘inlaudatus’ sit, id est qui omni in re atque omni tempore laude omni uacet, eum omnium pessimum deterri-
mumque esse.’ Qua in re duo restabant quae argumentum desiderabant, alterum (quod ad sermonis leges pertinebat): recte dici inlaudatum non eum qui aliqua in re laudem non meruisse — quem significantum natura postulare uidetur participii in quo inest uerbi id est temporis et actionis notio — sed qui omni in re et omni tempore laude uacaret; alterum (et hoc in sensu positum erat): recte priuationem laudis dici posse finem extremae malitiae.

Atque utrumque Probus ratione subiecta probat. ‘Inlaudatum’ non tam sub participii, sed magis nominis specie recte et Latine accipiendum esse confirmat allata dictione quae eiusdem rationis esse uidetur ‘inculpatus’; alterum illud, quod in sensu positum esse diximus, probat auctoritate Homeri, qui non uirtutibus appellandis sed uitiis detrahendis laudare ampliter soleat. Et

(XI 487) “iamque adeo rutilum thoraca inductus aenis horrebat squamis.” quidquid igitur inculcatum obsitumque aliqua re erat, squalere dicebatur.’ Quae cum ad uerbum referat Gellius, Seruum hoc loco Gellium descripsisse dixerit quispiam. Tamen cum eandem similitudinem Seruui (ad buc. VI 76) et Gellii (huius capituli § 5—6) inueniamus, ubi Seruum non adhibuisse Gellii caput, sed Probum ipsum sequi apta collocatione aperte docuit Rudolfus Reppe (de L^{IV}. Annaeo Cornuto, diss. Lips. 1906 p. 35), hic quoque Seruius Probum ipsum adiisse putandus est, ad cuius auctoritatem se recurrisse passim confitetur. Id quoque appetat, cum Seruius ad uerbum concinat cum Gellio, hunc hoc capite II 6 ipsa Probi uerba exscripsisse (cfr. Franz Skutsch, Aus Vergils Frühzeit, Leipz. 1901 p. 101 adn.).

de omni sententia, qua uelut fundamento hac in disputatione usus est cum affirmaret detractione alicuius rei effici quod eiusdem rei contrarium esset, supremum excitat testem Epicurum qui (§ 12) ‘simili modo maximam uoluptatem priuationem detractio nemque omnis doloris definiuit.’ Cuius philosophi quod usus sit auctoritate M. Valerius Probus qui carmen Lucretii recensuit, caue ne mireris. Ad eam denique sententiam Probi qua ‘in laudatum’ non participium sed quasi nomen accipere maluit, conferas adnotationem Probi ad Phormionem I 3, 3, ubi ‘in cogitans’ temerarium significare ait et non participium sed nomen appellauit.

Sententia Probi seruata est in scholiis Bernensibus ad georg. III 5: “inlaudati” non quod laudatus non sit, sed quod non meruit. participium pro nomine posuit, ut “inlaudatus Apollo”. Praeterea hoc pertinet Fragmentorum Bobiensium¹⁾ adnotatio GL VII 542, 19 K ‘inamabilis: pessima’ adnotata ad Aen. VI 438 (cf. Gellianae id est Probianae disputationis § 13: ‘eadem ratione idem Vergilius [ge. IV 479; Aen. VI 438] “inamabilem” dixit Stygiam paludem. Nam sicut ‘inlaudatum’ οὐατὰ στέρησιν laudis, ita ‘inamabilem’ οὐατὰ amoris στέρησιν detestatus est’); cf. CGL II 248, 43 *Αστοργος* inamabilis 253, 23 *Αφιλητος* inamabilis.

In inferiore parte disputationis Gellianae quae incipit inde a § 15: ‘altero modo “inlaudatus” ita defenditur’, desideramus exemplum quo fretus dixerit Probus prisca lingua laudare tantundem ualere atque nominare; nisi quis affirmet Probum in tribunalium sermone priscam linguam conseruari arbitratum esse, cui rei minime congruunt quae leguntur Gell. I 22, 2 (uide infra). Nescio an auxilium ferat Nonius 335, 12 M qui ad hunc quem Probus tractauit uersum georgicorum (III 4) addidit uersum Plauti qui in Gellio non inuenitur. Facile cogitaueris Gellium hunc uersum omisisse eodem modo quo ad priorem disputationem de uerbo ‘uexasse’ exemplum Ciceronis omisit seruatum a Seruio. Inserueris igitur uersum Plautinum uerbis Gellianis: Laudare significat prisca lingua nominare appellareque. (Plautus in Captiuis (426)

Id ut scias Iouém supremum téstem laudo Hégio:
sic in actionibus ciuilibus auctor ‘laudari’ dicitur quod est nominatus.’

1) quorum de indole origineque obseruationem respicias Friderici Vollmer Philolog. Suppl. X (1907) p. 287 adn. 55.

GELLIUS I 22.

cf. Hosius ed. Gell. praef. XXV: ‘an ex Probo?’

Probo hoc caput Gellii tribuendum est propter uniuersam quaestione rationem quam Probo peculiarem esse cognouimus (uide supra p. 128), qua ueterum sermonem quem ueram Latinitatem exhibere iudicabat, oppositum uoluit esse recenti loquendi consuetudini.

Nec non disputationis uia ea est quae Probo propria fuit qui exemplis Latinorum allatis similitudinem Graecam adhibere solebat. Sic hoc loco cum uerbo Latino ‘superesse’ Graecum *περισσόν* simili ratione usurpatum contulit.

Tum plane Probi ratio cognoscitur § 12—13¹⁾ ubi Vergilium uerbum ‘superesse’ *ἀναρτεῖσθαι* posuisse contendit, deinde alium locum ostendit ubi rectius eodem uerbo usus sit poeta. Quae apte contuleris cum adnotatione Probi quam seruanit Seruius ad Aen. IX 811: ‘Probus ait “commodius hic est ‘aeger’ quam in quinto (432) ‘vastos quatit aeger anhelitus artus’: quamuis consuetudo sit Vergilio ista mutandi.”

Sane Gellius § 9 Iulium Paulum auctorem nominat; sed hic Gellii familiaris eodem loco habendus esse uidetur quo Annianus poeta, quem recte ubique in scriptis Gelli uicarium Probi arbitraris. Conferas Gell. XIX 7, 1: ‘Iulius Paulus poeta, uir bonus et rerum litterarumque ueterum impense doctus’, unde appetet eum Probi institutis imbutum fuisse.

GELLIUS IV 15.

Iam supra cognitum est Probum reprehensiones refutauisse quae in Sallustium factae erant (III 1). Atque cum hic ratio eadem reperiatur qua Probus in tali defensione uti solebat, scilicet ut demonstraret obtrectatores non ueram significationem uerborum intellexisse, cum ipse propria significatione exposita etiam sententiam plane procedere probaret, haec quoque disputatio Gelliana Probo auctori tribuenda erit. Accedit quod hic (§ 6) Graecum illud *χαλεπόν* confertur Latino uocabulo ‘arduum’ eadem ratione qua Probus ubique ad aperiendam uim Latinae dictionis Graecam similitudinem adhibere solebat. Denique illud de Sallustio iudicium (§ 1) ‘Elegantia orationis Sallustii uerborumque fingendi et nouandi studium’ penitus congruit cum iis quae Valerius

1) quem locum Kretzschmerus l. s. p. 78 Hygino adtribuere maluit, sed ipse parum sibi confidens (‘obiter denique commemorabo suspicionem quandam seqq.’).

Probus de Sallustii dicendi genere protulit (Gell. I 15, 18): ‘quod “loquentia” nouatori uerborum Sallustio maxime congrueret.’

Praeterea placet monere Probum hoc uocabulum ‘arduum’ ea quam hic statuit significatione ipsum adhibuisse in adnotatione ad Vergilium (Seru. ad Aen. VII 421): ‘FVSOS PATIERE LABORES Probus de temporum conexione libellum composuit in quo docet quod cui debeat accommodari. ex quo intellegimus hanc quam fecit arduam esse conexionem’, ubi arduus ‘molestum’ ‘incommodum’ significat, sicuti Probus definiuit apud Gellium.

Quis fuerit ille qui Sallustium reprehenderit, suspicari licet ex Suetonii libro de gramm. 10: ‘Asinius Pollio in libro quo Sallustii scripta reprehendit.’

Ipse Pollio nominatur Gell. X 26¹⁾: ‘Asinio Polioni ... dignum nota uisum est quod in primo historiarum maris transitum transmissumque nauibus factum transgressum appellauit (Sallustius).’ Hoc quoque loco Probum Sallustii partes defendere inde appetet quod perinde ac supra (III 1, 5) Sallustianum illud ‘corpus et animum effeminari’ Valerius Probus comprobauit supposita figura circumlocutionis, sic hoc quoque loco ‘transgressus’ de nauium transitu dictus comprobatur excusatione figurae translationis. Tum afferuntur exempla ueterum (Catonis Lucretii) qui simili uel eadem translatione usi sint, denique subicitur (et hoc plane est ex consuetudine Probi; cf. Gell. II 6, 13) ipsius scriptoris, de quo agitur, consimilis locutio.

GELLIUS IV 17.

Cf. Ribbeck prol. ad Verg. 139: ‘Valde igitur probabile quod dubitanter Kretzschmerus p. 90 coniecit, Gellii IIII 17 caput, ubi ‘iniice’ Aen. VI 366 et ‘subiicit’ ge. II 19 et ‘obiicibus’ ge. II 480 et scribendum et legendum praecipitur, totum Probi esse uel saltem a Sulpicio Apollinari ex huius commentariis excerptum.’ Simile iudicium profert Hosius (l. s. p. XXVII) de capitib[us] II 17 fontibus disserens: ‘Non suo periculo Ciceronem Gellius aggredi ausus est. Multorum, qui illius argumentationem amplexi sunt, nemo proprius accedit nisi is, qui de ultimis syllabis scripsit; cfr. locos non ita inter se distantes GL IV 253, 20 et 255, 4 et de perfecto ‘coegi’ (Gellius § 10) 262, 9. Cui licet nomen Probi mera conjectura Parrhasii inditum sit, tamen in iis, quae nos spectamus, Minerua illi fauisse uidetur. Nam ut hic de productis ‘in’ ‘con’

1) Hosius ed. Gell. praef. p. XLII: ‘fortasse ex Probo.’

'pro' disputatur, sic IV 17 de 'con' 'sub' 'ob' 'pro' addito praeter alia eodem exemplo Sallustiano, quod caput ad Probum uel Sulpicium Apollinarem reuocauerunt. Ex Probo hauserunt Diomedes (cfr. Keil pr. LII) et Priscianus, praecipue in capite de perfecto: habes Gellium § 2 concinentem cum Diomede 409, 2; 433, 15; § 11 cum Prisciano I 461, 14 (de 'coegi'). Haec omnia documenta esse infirma non me fallit, sed non infirmiora quam quibus nisus Beck¹⁾ Plinium ex inferis arcessiuit. Itaque his ex suo quisque ingenio demat uel addat fidem.'

Hosium recte suspicatum esse Valeriumque Probum re uera auctorem esse huius disputationis Gelliana, ex consensu Quintiliani et Velii Longi supra demonstrauimus (p. 97). Nam quod Kretzschmerus Probo hoc caput adtribuere dubitauerat (p. 90) ideo quod apud Seruium (ad Aen. I 1) ageretur de i littera uocalibus interposita, apud Gellium uero aliasmodi exempla afferrentur, nimia cura usus est. Etenim utroque loco eandem sententiam subesse appetat: i geminatae scriptione significari uim praecedentis syllabae, quamuis sit natura breuis, ita augeri ut pro longa ualeat. Neque huic de Probo auctore sententiae obstat quod Gellius Sulpicii Apollinaris nomen protulerit; nam apte Gellius more suo induxit tamquam uicarium Probi eum, quem Berytii doctrinae custodem inuenimus schol. Veronens. ad Aen. IX 369.

Consideranda est igitur ratio disputationis Gelliana. Atque reprehenditur consuetudo eorum qui uocabula 'obiciebat' 'subicit' similia, in quibus prima syllaba natura breuis est, hac producta legere soleant, eo consilio ut metri ratio in prima sede uersus heroici salua sit. Contra quam rationem contenditur posse et metrum integrum esse et praepositiones istas non barbare pretendi. Secundam enim syllabam in his uerbis per duo i, non per unum scribendam esse; uerbum enim esse 'iacio', quod ubi compositum sit, 'iicio' fiat. Duas autem litteras i hoc modo iunctas adeo non in se ipsas coire (uid. p. 92 sqq.) et unam fieri, ut prior littera i consonans facta sonum suum proprium uel morae quae dicitur spatium retineat, atque hac ratione secunda syllaba producta priorem syllabam positu longam effici (Gell. I. s. § 8: 'atque ita uim consonantis capit, et idcirco ea syllaba productius latius-

1) I. W. Beck, *Studia Gelliana et Pliniana*, Fleckeis. Suppl. XIX (1892) p. 8. At Plinium auctorem non esse demonstratum est huius disputationis p. 97.

que paulo pronuntiata priorem syllabam breuem esse non patitur'); itaque in uerbis uelut 'obiicibus' (§ 12) o litteram, positu tantummodo longam, in pronuntiati correptam efferendam esse, cum i littera, quae in uocabulo gemina esse debeat, 'paulo uberius largiusque' pronuntianda sit. Ubi grammaticus non docebat 'sūbīcīt' legendum esse — quod si fecisset, barbare ipse protendisset syllabam natura breuem, quod ne fieret, omnino hanc disputationem instituerat —; sed legebat ille 'sūbīcīt', paulum in pronuntianda consonanti i commoratus, 'ita ut numerus in uersu et ratio in pronuntiati maneret' (§ 8)¹⁾.

His de studiis Probi orthographicis et metricis, quibus geminum i talibus in uocabulis perscribendum esse confirmauerit ex uniuersa natura consonantium qua littera consonans cum pari littera coire nequeat, deinde quomodo scriptione hac ratione confirmata usus sit ad designandas mensuras syllabarum custodiendasque, supra disputatum est (p. 100), cum Quintiliani uerba I 4, 10—12 explanauerimus. Ceterum, quod Probus naturam syllabarum in legendis uersibus diligenter obseruari uolebat, id necessario coniunctum erat cum illa sententia qua ueram syllabarum mensuram numeris et seruari et ostendi contendebat, sicuti ex Ennii uersu Hannibalem producta paenultima dicendum esse collegit (Gell. IV 7).

Quomodo ceteri grammatici, qui duplex i non scribendum esse censebant, de istis uocibus quas Probus apud Gellium tractauit, iudicauerint, intellegere licet ex adnotationibus Seruui. Atque leguntur ad Aen. IV 549: 'OBICIS HOSTI 'ob' naturaliter breuis est, sicut et 're' et 'ad'; sed plerumque producuntur hac ratione: obicio reicio adicio i habent uocalem sequentem, quae

1) Prope accedunt ad hanc rationem ea quae disputata sunt de uocabulo pāriētībus uersu heroico comprehenso in [Probi] tractatu de ultimis syllabis GL IV 257, 18 K: 'decimus modus est, si post uocalem subiecta sit consonanti i uocalis uel u et correptam uocalem habeat consequentem, ut < Aen. V 589 > 'parietibus textum caecis'. in hoc uersu quoniam prima pars orationis correptam habet, hoc genere positionis primam syllabam longam efficimus. secundam namque syllabam resecamus per medium et praecedentem consonantem primae syllabae conglutinamus, uocalem autem ad tertiam reuocamus et loco consonantis defigimus. hic sane modus positionis apud Vergilium non in superiore exemplo tantum, sed in multis uersibus inuenitur'; cf. praeterea Velium Longum GL VII 48, 15: 'atque adeo consonans est (i) ut in metro idem praestet. cum enim lego < Aen. V 643 > 'et iacit arrectae mentes stupefactaque corda' fit primus pes dactylus, 'et iacit', proinde ac si immutata hac ipsa i positaque pro ea alia consonante dicerem 'et facit' e.q.s.'

per declinationem potest in consonantis formam transire, ut obieci reieci. ergo etiam antequam transeat, interdum fungitur officio consonantis et praecedentem longam facit.' Tum ad Aen. V 522: 'OBICITVR superius (IV 549) de his particulis secundum Iuba m artigraphum tractauimus; sed dicunt alii istas monosyllaborum ratione uel produci uel corripi. sane sciendum naturae esse ut breues sint: euphoniae uel Iubae ratione in compositione producuntur, si tamen 'i' sequatur quae licet non sit consonans, potest tamen in declinatione pro consonante haberi'; cf. Seru. ad Aen. X 473.

GELLIVS II 17.

Apud Gellium IV 17, 6, de cuius capitinis auctore M. Valerio Probo supra diximus, haec leguntur: 'Sed neque 'ob' neque 'sub' praepositio producendi habet naturam, neque item ('con'), nisi cum eam litterae secuntur quae in uerbis 'constituit' et 'confecit' secundum eam primae sunt, uel cum eliditur *(ex)* ea n littera sicut Sallustius (*hist. fr. IV 52 M.*): «faenoribus» inquit «copertus». Idem exemplum Sallustianum legitur II 17, 7 in simili de natura praepositionum disputatione; postea subicitur (§ 9): 'Sed tamen uideri potest in his, quae posui, ob eam causam particula haec produci, quoniam eliditur ex ea n littera: nam detrimentum litterae productione syllabae compensatur.' Quem ob consensum duo Gelli capitula II 17 et IV 17 ad eundem auctorem (Probum) reuocanda esse iam Hosius uiderat (ed. Gell. praef. p. XXVII).

GELLIVS VI 10.

Non nunquam in Gellio affinitate locorum communem fontem indicari monuit Mercklinius l. s. p. 664, cuius rei exempla Hosius contulit (l. s. p. XXVIII) ueluti capita XIII 11; 12; 13 et XVI 16; 17; 18 ex Varrone, XIII 14; 15; 16 ex Messalla, XIV 1; 2; 3 ex Fauorino, XVII 15; 16; 17 ex Plinio, XIX 2; 4; 5; 6 ex Aristotele. Sic ex Probo sumpta esse uidetur haec series capitum VI 7; 9; 10; 11. Nam capitinis decimi auctorem Probum demonstrat similitudo atque conexus argumenti, cum agatur de uocabulis copulatis et de dictionibus iuncte atque producte pronuntiandis aeque atque in VI 7 et IV 7 capitibus certa ratione ad Berytum reuocandis. Praeterea ex Catonis explicatione colligitur capionem esse uelut captionem, t litteram igitur intercidisse. Per quod satis dilucere ait auctor a longam esse, aperte nisus ea sententia 'detrimentum consonantis pro-

ductione uocalis compensari' quam Probi esse supra (p. 135) cognouimus¹).

GELLIVS VI 11.

Probum auctorem ostendunt 1) argumenti genus quod in eo uersatur ut ueterum dicendi propria ratio recenti ac uulgari sermoni opponatur; cf. Gell. II 6, 6 (p. 128). 'Non igitur quia uolgo dici solet 'uexatum esse' quem fumo aut uento aut puluere, propterea debet uis uera atque natura uerbi deperire quae a ueteribus qui proprie atque signate locuti sunt, ita ut decuit, conseruata est', quibus cum uerbis initium huius capitinis fere concinit (§§ 1—3); 2) series capitum VI 7; 9; 10 praecedentium quae ex Probi doctrina fluxerunt (uid. supra ad Gell. VI 10); 3) similitudinis Graecae comparatio (§ 2 'quod genus Graeci fere ἄστοτον uel ἀκόλαστον dicunt'), ubi monere libet Probi studium comparandae linguae Graecae et Latinae non in eo uersari ut uocis Latinae originationem Graecam ubique ostenderit — id quod praeter Probum (Don. Hec. prol. I 2) alii fecerunt — sed similis dictionis similem usum, sicuti (Gell. I 16, 8 [p. 125]) 'mille' inlustrauit Graeca uoce χιλιάς (Gell. IV 15, 6 [p. 131]) Latinum 'arduuus' Graeco 'χαλεπός'; 4) modus afferendi libros (cf. Marx, Prol. ad Lucil. p. LXII sqq.), uelut § 3 'M. Tullii secunda Antonianarum' uel § 7 'Q. Claudius in primo annalium'.

GELLIVS VI 20.

De Probo auctore cogitauerunt H. Nettleship, Lectures and Essays, Oxford 1885 p. 274, C. Hosius, praef. p. XXXVI.

1) Hac sententia Berytii de ui consonantium cognita nescio an sanari possit suoque auctori restitui adnotatio Donati ad Phorm. II 3, 26,: 'AIN TANDEM «ain» ἀπόστροφος nota est quae separat E ab N littera i tenuit sed (se sed *Vatican. Regin. 1496*) sonum. est enim integrum «aisne」.' Qua ab adnotatione non seiungenda est illa ad Andr. V 3, 4¹: 'AIN TANDEM quaerit Probus «ain» quae pars orationis sit et an una sit. est autem «ain» quasi «aisne」.' Itaque facile adfirmauerit quispiam illam ad Phormionis uersum adnotationem, quippe quae omnino accommodata sit huic Probiana sententioni ad Andriæ uersum relatae, ipsam quoque ad Berytium referendam esse. Id quod aliunde praeterea euinci posse uidetur. Nam prior pars adnotationis 'ἀπόστροφος nota est quae separat E ab N' aperta est; in iis uero quae sequuntur uerbis corruptis editor recte intellexit agi de explosa littera s, et proposuit legendum: 'unde littera s ante n amittit sonum'; ubi prope ad ueritatem accessisse neque eam tamen prorsus assecutus esse uidetur. Etenim illud 'sed sonum' antecedere indicat negationem; quam si inserueris: 'littera i <non> tenuit s, sed sonum' haec uerba Probiana sententiam repetunt: 'detrimentum consonantis productione uocalis compensatur' (uid. p. 135).

Probum auctorem demonstrant praeter librorum rationem habitam (§ 1, § 6; cf. XIII 21, 4; 16; I 7, 1), argumentationem ex suauitate sonorum (§ 2), comparationem Homeri (cf. IX 9, 12; II 6, 11) imprimis sententia illa (§ 6) qua utitur Gellii auctor cum pronuntiet genus nominum ex uocalitate sonitus recte mutari, quam sententiam praeter Berytum quemquam sustinuisse traditum non est (cf. ad Gell. XIII 21 [p. 121 sqq.]). Ceterum figura ipsa argumentandi uelut § 9 ‘cum dicere ‘ebrio’ posset quod erat usitatius ‘acinum’ in neutro genere appellare, . . . tamen ebriam dixit propter insequentis a litterae concentum’ omnino consimilis est ei rationi quae conspicua est XIII 21, 21: ‘Lucretius . . funem feminino genere appellauit . . . cum dicere usitatius manente numero posset e. q. s.’, ubi Probum auctorem esse ostendimus p. 120 sqq. De ratione et doctrina Probi haec comperimus eum in carminibus Vergilii hiatum qui dicitur obseruauisse opinatumque esse poetam Latinum hac in re Homeri exemplum sequi. Quod cum contendenter grammaticus, iusto iudicio eum usum esse uix concesseris (Guil. Christ, Metrik d. Griech. u. Römer, Lips. 1879² p. 41). Certe ea quae de concursu uocalium similium docet (§ 3) ‘uocalem in priore uersu extremam eandemque in sequenti primam canoro simul atque incundo hiatu tractim sonare’ non probata fuerunt Quintiliano VIII 4, 33: ‘Pessime longae, quae easdem inter se litteras committunt, sonabunt’.

Iam de Catulli hendecasyllabis (§ 6) agendum erit. Atque poetam ipsum ‘ebriosa acina ebriosioris’ scripsisse et codices Catulliani probare uidentur et nostri aeui editores praeter Aemilium Baehrens docuerunt. Quae figura praeterea postulatur constanti consuetudine poetae, qui talibus in enuntiatis adiectuum sibi ipsum esse par uoluerit, ueluti 22, 14 ‘idem infaceto est infaciet rure’; 39, 16 ‘nam risu inepto res ineptior nulla est’; 99, 2 ‘sauiolum dulci dulcissimam ambrosia’; 14 ‘sauiolum tristi tristius elleboro’; cf. 111, 2 ‘nuptarum laus e laudibus eximiis’. Probus uero, si recte Mauricius Haupt (opusc. II 123) uerba Gellii restituit, legere praecepit ‘ebria’. Nempe ut laudem aliquam, ‘suauitatem scilicet hiatus illius Homerici’ poetae tribueret suamque sententiam commendaret, uerba poetae temptauit eadem audacia eademque ratione qua Sallustianum uerbum (Gell. I 15, 18 LOQVENTIAE) tetigit et Vergiliana (Aen. VIII 406 INFVSVM; X 539 ALBIS; X 303 VADIS [cf. p. 57 sqq.]).

GELLIVS VII 16.

Probum auctorem esse opinatus est Hosius (praef. p. XXXVIII) duce Mercklinio et Hertzio. Atque tali sententiae sunt documento 1) argumenti natura, cum defendatur propria significatio uerbi ‘deprecor’ contra ‘uirum bonum’ qui ‘ita esse dictum putabat ut plerumque a uulgo dicitur (cf. ad Gell. II 6; VI 11); 2) ratio illa qua obtrectatoris de poeta iudicium refutatur eo modo ut obtrectatorem non ueras uerborum significationes cepisse demonstretur (cf. ad Gell. IV 15; I 7; II 6 praecipue); 3) argumentationis ordo Probianus; nam proponitur genus uituperationis (§ 1—4) quae deinde refutatur explanata uera uerbi significatione et allatis exemplis ueterum (§ 5—11); denique comparatur similis locutio Graeca παρατείσθαι (§ 11 ‘propinqua significatione’) et subiciuntur alia exempla Ciceronis (§ 12—13); 4) argumentum illud quo contenditur (§ 5) mensuram syllabarum coniunctam esse cum omni ui et significatione uocabuli, ita ut mutata mensura sensus quoque dictionis mutetur (‘nam “de” praepositio, quoniam est anceps, in uno eodemque uerbo duplēcē uim capit. sic enim “deprecor” a Catullo dictum est . . .; contra autem ualet, cum Cicero e. q. s.’). Hanc enim sententiam a Probo custoditam esse intellegitur ex iis quae de diuersa syllabarum mensura disputata sunt et Valerio grammatico (= M. Valerio Probo; cf. p. 56) tribuuntur apud Aldhelmum in libro de re grammatica et metrica (A. Mai, classic. auct. tom. V Romae 1833 p. 538): ‘Liquor si nomen tertiae fuerit declinationis, pyrrhichius est . . . Nam si liquor uerbum fuerit tertiae coniugationis uel tertii ordinis, ut Valerio grammatico uocare libuit, trochaeus.’ (Nam quae Aldhelmus Valerio illi adtribuit, haec ex Valerii Probi doctrina esse efficitur praeterea consensu Prisciani GL II 398, 3 sqq. K et Diomedis GL I 343, 1 sqq., 434, 9 sq. K (cf. H. Keil praef. vol. I p. LIV; vol. IV p. XXII).

Sane alia res est mensura syllabae, alia accentus. Tamen haec duo ita inter se coniuncta sunt, ut separari posse non uideantur. Quid praeterea senserit Probus de ui accentus in distinguenda significatione uerborum, testimonia sunt haec: Gell. VI 7, 5: ‘Addebat (Annianus = Probus) quod «ad» praeuerbium tum ferme acueretur, cum significaret ἐπίτασιν quam intentionem nos dicimus’, tum Seruui adnotatio ad Aen. III 3: ‘nam quod Probus ait ad discernendum tempus circumflectendam ultimam syllabam, ut intellegamus “fumauit”, non procedit.’

GELLIVS VIII 12.

Disputationis Gelliana, quod caput intercidit, summa seruata esse uidetur in Donati qui fertur commento ad Andr. I 1, 28 s: PLERIQUE OMNES F. ἀρχαισμός est. nam errat qui ‘plerique’ παρέλκον intellegit aut qui subdistinguit ‘plerique’ et sic infert ‘omnes’. hoc enim pro una parte orationis dixerunt ueteres eodem modo quo Graeci πάμπολλα et Latini ‘plus satis’ (Eun. I 2, 5). Naeuius in bello punico (libr. inc. fr. 14 M.) ‘plerique omnes subiguntur sub unum iudicium’. Qua in adnotatione facile agnoscantur et apertus cum Gellio consensus et rationis Probianae proprietates. Atque conferenda est adnotatio ad Eun. I 2, 5: ‘IAM CALESCES PLVS SATIS 4. . . at mihi uidetur de his esse quae a ueteribus geminabantur ut ‘plerique omnes’ (Andr. I 1, 28; Phorm. I 3, 20) id est ‘omnes’, et ‘pleraque omnia’ (Heaut. IV 7, 2) id est ‘omnia’. sic etiam ‘plus satis’ pro ‘satis’.

Probum huius sententiae auctorem esse, praeter illud quod supra dixi argumentum ex natura argumentationis petitum, duo confirmant testimonia, quorum alterum est hoc: COD. AMBROSIANVS L 22 s. X. f. 25^v (R. Sabbadini, Studi ital. di filol. classica [1903] XI p. 174) — frgm. 77: ‘Probus addit satis et plus abundanter etiam comparatio iungenda’ (sed conf. consimilem locum Pomp. GL V 156, 27 K et cetera quae congesta sunt in APPENDICE A ad nr. III), alterum hoc est: Don. ad Phorm. V 8, 11: ‘ADHVC CVRAVI τῷ ἀρχαισμῷ addidit ‘adhuc’, cum potuisset sine hoc integer sensus esse’; ubi illa locutio ‘potuisset sine hoc integer sensus esse’ iisdem uerbis comprehensa alio commentarii loco non reperitur, sed occurrit in Seruio, ubi uerba ipsa Probi afferuntur (ad Aen. I 21): ‘in Probi adpuncti sunt et adnotatum “hi duo si eximantur, nihilominus sensus integer erit.”

GELLIVS IX 12.

Quod caput ex Berytii doctrina fluxisse certa ratione demonstrari posse non uidetur; tamen sunt argumenta quae Probum auctorem indicent. Nam hunc omnino in quaestione de aduersa significatione uerborum uersatum esse non tam ostenditur Gellii capite VII 16 (id quod Hosius affirmit p. XL) quam XV 13 capite Probianae originis (p. 144 sqq.) quo agitur de uerbis communibus. Etenim utroque loco (IX 12 et XV 13) idem esse apparent quaestioni genus, uidelicet de actiua et passiua significatione dictiōnum siue nominum siue uerborum, quarum figura tamen communis sit. Eadem quoque designatio utrobique legitur: XV 13, 1

‘significatio reciproca’, IX 12 (in lemmate) ‘significatio aduersa et reciproca’, quod uocabulum non Gellio, sed communi utriusque capitis auctori recte tribuerit quispiam. Accedit quod similis quaestione species inuenitur in quaestiuncula Probianae de dubio genere (Gell. XIII 21, 19): ‘hic incestus» non qui admisit, sed quod admissum est.’ Deinde conspicua est ea ratio quam ubique in Probianis disputationibus deprehendimus, qua ueterum usus recenti consuetudini opponatur § 4: ‘Quis enim e medio facile dixerit «infestum» esse cui alter infestus est? Sed et ueteres plerique ita dixerunt e. q. s.’ Praeterea quae § 19 leguntur: ‘Sed super eo, qui nescit, frequens huius uocabuli usus est, infrequens autem est de eo, quod nescitur’ haec Berytii elocutionis formulam repete uidentur qua usus est Don. Phorm. I 3, 3: Probus ‘nomen incogitans’ inquit ‘in usu est, at non eodem modo cogitans.’ Denique quae § 22 profertur interpretatio uersus Verg. Aen. X 706, iterum occurrit in annotatione Seruui quae probabiliter ad Probum refertur: IGNARVM LAVRENS HABET ORA MI-
MANTA . . . uera . . . est lectio ‘ignarum’ id est ignoratum, qui nesciretur: et est supina significatio, sicut in quarto (72) ‘liquitque uolatile ferrum nescius’ pro «qui nesciebatur»; ubi insolentius illud uocabulum ‘supina’ id est passiuia significatio Probum indicare uidetur qui hoc uocabulo usus est ad designandum participiale, uelut ‘cantando’, cui generi id proprium esset ut passiuam admitteret significationem uel in uerbis actiuis (Diom. GL I 342, 9K).

GELLIVS IX 14.

Non est cur dubitemus quin Gellius hac in disputatione Caesellii Vindicis commentario usus sit quem ipse auctorem appellat § 6. Tamen eum qui diligenter hoc caput Gellii perlegerit, non fugiet id omnino conscriptum esse secundum rationem Probi. Etenim hoc capite locutio quaedam Quadrigarii defenditur a Probo simili modo atque capite I 16 (uid. p. 125); tum plane illud ex ratione Probi est quod demonstratur Quadrigarium ‘probe et Latine’ locutum esse (cf. p. 128); ueterum scriptorum ‘qui purissime locuti sunt’ (§ 21) sermo opponitur loquendi generi ‘uti nunc dicitur’ (§ 21); libri ipsi, ut uera scriptio cognoscatur, consuluntur (§ 26) neque satis habetur unum librum inspexisse, sed eiusdem scriptoris complures (§ 3 ‘etiam in Tiburti bibliotheca inuenisse nos in eodem Claudi libro scriptum e. q. s.’) id quod nos commonet de illo Suetoniano: ‘multa exempla contracta e. q. s.’ Atque ubi auctoritas eorum affertur qui (§ 7) ‘idiographum librum

primum georgicon Vergilii se inspexisse' affirmauerunt, nemo non uidet hunc esse Valerium Probum (Gell. XIII 21, 4 'nam in primo georgicon quem ego inquit (Valerius Probus) manu ipsius correctum legi'). Denique facile agnoscas Valerium Probum (cf. Gell. XIII 21, 1) qui (§ 2) 'corruptos' appelle libros in quibus scripta reperta sit forma genetui 'faciei' quam 'ratio grammatica' exigebat.

Ex quo intellegitur Caesellium Vindicem in commentariis diligenter reddidisse doctrinam et rationem Probi. Neque miremur grammaticum, qui grande opus litterarum ordinem in disponendis rebus secutus congereret, alienis maxime copiis usum esse. Atqui cum commentarii eius inscripti sint 'lectiones antiquae' (Gell. III 16, 11: Caesellius Vindex in lectionibus suis antiquis; cf. II 16, 5; XI 15, 2; VI 2, 1) facile nobis persuadebimus edidisse Caesellium suo nomine ea quae litteris mandauerat in lectionibus antiquorum scriptorum quibus interfuerat horis postmeridianis apud Probum. Neque tamen Vindex censendus est satis habuisse uerba magistri referre, sed ex suo ingenio suaque doctrina quaedam adiecissee, sicuti eum Berytii praeceptum de duplice i scribendo amplificauisse supra intelleximus p. 101. Talibus Caesellii hoc in capite Gelliano additamentis documento sunt diuersae afferendi rationes (§ 11 Lucilius in XII, § 22 Lucilius in saturis, § 23 Lucilius in libro septimo) de quibus egit Marx ad Lucil. 269.

GELLIVS X 21.

Hosius p. XLI: 'num ex Tirone, coll. Charis. 207, 30 dubius haeret Kretzschmerus p. 63; nescio, an ex Probo, cum hic similiiter agat de 'parcissime' apud Charis. 212, 7, nouam uocem miretur apud Diomed. 365, 9, de uerbis quae in usu sunt, loquatur apud Donat. Ter. Phorm. I 3, 3 ibique II 3, 25, quis ante Terentium uerbum quoddam adhibuerit, quaerat: omnia ut anonymus Gellii auctor. Adde, quod eius assecla Caper apud Charis. 207, 31 de ipso "nouissime" agit.'

GELLIVS X 24.

Ipsa quaestionis materia et natura ('die pristini' 'die crastini' et 'die quarti' et 'die quinti' qui elegantius locuti sint, dixisse, non ut ea nunc uolgo dicuntur') Probum auctorem indicant (cf. ad Gell. II 6, 6 p. 128). Nec deest locutionis Graecae (§ 1 'quod Graeci εἰς τετάρτην και εἰς πέμπτην dicunt') comparatio quam Probum ubique adhibere solitum esse cognouimus. Atque quae leguntur (§ 1): 'die quarto . . . ab eruditis nunc quoque

dici audio, et qui aliter dicit, pro rudi atque indocto despicitur' apte conferuntur cum iis quae Suetonius tradit Probum, cum ueteris sermonis auctoritatem contra recentiora grammaticorum studia sustineret, obprobrium tulisse. Quae sequuntur apud Gellium (§ 1): 'Sed Marci Tullii aetas ac supra eam non, opinor, ita dixerunt' illum indicant grammaticum qui ad Phormionem II 3, 25 quaesiuit quis ante Terentium 'male loqui' pro 'male-dicere' dixisset. Denique is qui ita disserit de locutione 'die-quinti (§ 1): 'diequinte enim et diequinti pro aduerbio copulate dictum est secunda in eo syllaba correpta' idem est atque is qui apud Gellium VI 7, 4 de aduerbiis affatim et exáduersum haec disputat: 'causam esse huic accentui, quod affatim non essent duae partes orationis, sed utraque pars in unam uocem coaluisset, sicuti in eo quoque, quod 'exaduersum' dicimus, secundam syllabam debere acui existimabat, quoniam una, non duae essent partes orationis; atque ita oportere apud Terentium legi dicebat in his uersibus (Phorm. 88): "in quo haec discebat ludo exáduer-sum loco/tostrina erat quaedam". Itaque Valerium Probum disputationis Gellianae auctorem esse iam concesseris.

Cum iis quae § 8 exponuntur conferenda sunt uerba Quintiliani (inst. or. I 4, 7—8): 'at grammatici saltem omnes in hanc descendent rerum tenuitatem, desintne aliquae nobis necessariae litterae ut in his 'seruuus' et 'uulgus' Aeolicum digammon desideratur, et medius est quidam u et i litterae sonus — non enim sic optimum dicimus uel optimum — et (in) 'here' neque e plane neque i auditur.' Ratio unde oriatur haec e et i litterarum confusio exhibetur in Donati commentario ad Phorm. I 1, 2²: 'HERI AD ME VENIT propter cognationem E et I litterarum non dubitauerunt antiqui et here et heri dicere et mane et mani et uespere et uesperi'.

Eadem quae infra apud Gellium (§ 8) exponuntur 'sicuti praefiscine et praefiscini, procliui et proclue atque alia item multa hoc genus uarie dixerunt' leguntur apud Charisium GL I 212, 8 K (e Romano):

'Praefiscini, Titinius in Setina (u. 109 R):

Paula mea, amabo. Pol tu ad laudem addito
praefiscini,
«ne puella fascinetur».

'Praefiscine, Afranius in Consobrinis (u. 36 R):

scis habitum ita ut nunc obtinet. Praefiscine,
«per e non per i»; ubi illud «ne puella fascinetur» ipsam Probi

explicationem insolentioris illius aduerbii esse facile tibi persuadebis collato illo, quod supra legitur apud Charisium GL I 198, 12 K: 'Efflictim, Naeuius in Corollaria (u. 36 R)

nolo ego

hanc adeo efflictim amare: diu uiuat uolo,
ut mihi prodesse possit;

ubi Probus «usque donicum effligatur»' (cf. p. 50 adn. 1). Illud quoque «per e non per i» apparer Probum subiecisse qui apud Gellium (§ 8) affirmat se talia in libris scriptorum obseruauisse: 'extremam istius uocis syllabam tum per e tum per i scriptam legi.'

Atque adeo statuere licet, ex quo libro Probiano Gellius et Charisius (uel eius auctor) hauserint. Nam in iis, quae proxime antecedunt apud Charisium, Probi liber «de inaequalitate consuetudinis» nominatur (Charis. 212, 7 K) atque eundem librum indicare uidentur haec Gelliana (§ 8): 'praefiscine et praefiscini... atque alia item multa hoc genus uarie dixerunt.'

Ad § 10 praeter ea quae adnotauit Hosius conferendus est Charisius GL I 81, 28 sqq. K.

GELLIVS XIII 25.

Hosius praef. p. XLVIII: 'mihi non uno loco Probus procedere uidetur. Fauorinus sectator fuisse uidetur Probi (cf. III 1, 6); fortasse eam ob causam electus est interpres.'

Fauorinum qui Graecis studiis maxime uacaret (cf. huius capit. § 4 et II 26, 7: 'lingua Graeca quam tu [Fauorinus] uidere elegisse'), qui Graeca potius utebatur oratione (XII 1, 24: 'Haec Fauorinum dicentem audiui Graeca oratione) in has subtilitates sermonis Latini descendisse non probabile est. Omnino autem congruit Probi rationi et doctrinae, quod ueram significationem manubiarum esse 'pecuniam' ostenditur exemplis ueterum allatis 'qui proprie atque signate' (32) locuti sint, neque accipiendam esse illam 'uulgariam interpretationem (§ 4) quod esse dicantur manubiae praeda' (uide p. 128).

GELLIVS XIII 27.

Hosius praef. p. XLVIII: 'Vergilium, quod Homeri elegantiam imitando non bene expresserit, Probus IX 9 increpat; simile quid hoc loco fit: an eodem auctore?'

Ad poetas illos qui aetate fere Hadriani erant et neoterici nominari solent, uocabulum *νεωτερικώτερος* hoc loco pertinere

non potest, quod dictum esse appareat cum reprehensione quadam, id quod minime conueniebat Gellio amico Anniani poetae neoterici. Neque uero omnino de Gellio huius obseruationis auctore cogitandum est. Etenim de Parthenio et Homero tamquam exemplis Vergilii dictum est in capitulis IX 9 initio, ibique bipertita subiecta est disquisitio, cum prius Vergilius iucunde lepideque Theocriti uersus transtulisse perhibeat, deinde improspere Homeri locum imitatus esse. Prorsus eadem ratione nunc de Vergilio poetarum Graecorum aemulo indicium fit, cum alterum exemplum proferatur quo uenuste Parthenii uersum imitatus sit, alterum quo parum feliciter Homeri uersum transtulerit. Atque capitulis IX 9 auctorem esse Valerium Probum constat, ita ut nunc quoque de Berytio recte cogitaueris. Quem praeterea indicare uidetur uocabulum illud '*reωτερικώτερος*' plane usurpatum ex ratione Alexandrinorum qua designarent illi usum poetarum Homero posteriorum (K. Lehrs, de Arist. stud. Hom. ³ p. 105 sqq.). Quam iudicij formulam Probo vindicauit tamquam propriam inter Vergilii commentatores Henricus Georgii (Die antike Aeneiskritik, Stuttgart 1891 p. 569 et 387) neque errauit opinor; cf. quae disputauit p. 8 sqq. Atque ipsa figura comparatiua quae in Gellio legitur (*reωτερικώτερος*) seruata esse uidetur in adnotatione Seruii ad Aen. VIII 731: 'hunc uersum notant critici quasi superfluo et humiliter additum nec conuenientem grauitati eius: namque est magis neotericus.'

GELLIVS XV 13.

Kretzschmerus l. s. p. 86: "quaerit Gellius de uerbis communibus XV 13. Nec dissimilis rursus haec quaestio est ei, quam Diomedes instituit p. 394 P 400 K duce, ut Keilius iudicauit praef. LIV, Valerio Probo. Multo tamen magis, quam Diomedes, Priscianus cum Gellio conuenit l. VIII § 15 sqq. § 25 (GL II 379, 2 sqq. 392, 6 K). Qui pleraque ea uerba affert quae noster, et duo iisdem exemplis probat § 20 (387, 14 K) (cf. Gell. § 10) Vergiliiano: 'cursusque dabit uenerata sacerdos' et § 25 (392, 21 K) (cf. Gell. § 8) Sallustiano: 'Igitur uenditis proscriptorum bonis aut dilargitis.' In fine uero huius disputationis § 26 (393, 8 K) haec addidit: 'sed et eorum et superiorum omnium usus tam apud Caprum quam Plinium et Probum inuenies'; et paulum infra idem Kretzschmerus: 'Iam si nihil aliud, id certe ex Prisciano colligi potest, Probum Berytum de uerbis communibus disseruisse.'

Tamen plura colligere licebit ex concentu Prisciani et Gellii. Neque enim modo eaedem res utrobique tractantur, sed etiam eodem ordine saepe et iisdem uerbis:

Gellius § 8:

Sallustius quoque eodem modo 'dilargitis proscriptorum bonis' dicit, tamquam uerbum 'largior' sit ex uerbis communibus¹).

Prisc. GL II 392, 21 K:

'horto' quoque pro 'hortor' (Gell. § 1) et 'largio' pro 'largior' dicebant, quae sunt communia¹). unde Sallustius in I historiarum: 'igitur uenditis proscriptorum bonis aut dilargitis'.

Gellius § 9 uerbis communibus subiecit impersonalia, id quod aequae factum esse uidemus apud Priscianum 392, 16.

Ad comprobandum uerbum 'testor' idem uersus Vergilii adscriptus legitur in Gellio et in Prisciano:

Gell. § 10: . . . et 'ueneror' . . . habita sunt in uerbis communibus. Sic illa in Vergilio dicta sunt . . . (A. III 460): 'cursusque dabit uenerata secundos' et sequitur 'confiteor'.

Prisc. 387, 14:

'ueneror' . . . Vergilius in III. Aeneidos (460): 'cursusque dabit uenerata secundos'

et sequitur 'confiteor'.

Ex quo intellegitur Prisciano et Gellio eundem fontem praesto fuisse. Atque Priscianus auctores nominat Caprum Plinium Probum, ex quibus Caper ad Gellium omnino non pertinet neque magis Plinius inter auctores grammaticos Gellii reperitur, unde apparet Probum esse auctorem capitis Gelliani XV 13 et apud Priscianum partes trium grammaticorum ita definiri posse, ut Probo tribuantur ea quae in Gellio ipsa quoque reperiantur.

Hoc uero interest inter Priscianum et Gellium i. e. Probum, quod hic passiuam tantum formam uerborum afferat, in qua duplarem inesse significationem contendat, uelut 'hortor te' et 'hortor abs te' id est 'tu me hortaris' (Gell. XV 13, 1), Priscianus uero eorundum uerborum et passiuam et actiuam formam proferat uelut: 'horto' quoque pro 'hortor' (392, 21): ita ut appareat Priscianum hic non integrum doctrinam Probi exhibere, sed immutatam quodammodo et retractatam.

1) in Gelliana disputatione additum illud 'tamquam uerbum "largior" sit ex uerbis communibus', suo loco est, cum tota disputatione uersetur in demonstrandis uerbis communibus; apud Priscianum uero illud 'quae sunt communia' additum eidem uerbo quod est 'largior' omnino ratione caret, cum 'horto pro hortor' et 'largio pro largior' plane non differant a uerbis quibus subiuncta leguntur: ita ut Priscianum rem et uerba descripsisse appearat.

Veram tamen doctrinam Probi Priscianus seruauisse uidetur 379, 2 sqq.: ‘. . adhortor (Gell. hortor) . . abutor (Gell. utor) . . antestor (Gell. testor) uereor, . . solor . . consolor . . de largior (Gell. largior) hortor haec plerique de ponentia esse confirmant ideo quia frequens usus eorum significationis est actiuae; communia uero esse defendit cum natura ipsius sensus, tum ueterum non improbanda auctoritas, a qua quae potuimus a diuersis colligere libris exempla proferamus. Lucilius: ‘a me auxiliatus siet’ passiue $\beta\sigma\eta\vartheta\eta\vartheta\epsilon\varsigma$. Cassius similiter: ‘adulatique erant ab amicis et adhortati’, ‘adulati’ $\chi\omega\lambda\kappa\epsilon\nu\vartheta\epsilon\varsigma$ ‘adhortati’ $\pi\varrho\sigma\tau\varphi\alpha\pi\epsilon\varsigma$. Varro: ‘tribunicio auxilio adminiculati’ $\beta\sigma\eta\vartheta\eta\vartheta\epsilon\varsigma$ sqq. (usque ad 386, 14). Qua in scriptorum serie maxima pars iidem esse inueniuntur atque ii qui a Probo afferri solent, ueteres scilicet historiarum scriptores, poetae, oratores, neque quisquam allatus est Vergilio posterior¹⁾). Modus quoque afferendi Probianus inuenitur (Marx, Prol. ad Lucil. p. LXII sqq.) uelut 380, 7: ‘Cicero Verrinarum IIII’; 382, 3: ‘Cato in IIII originum’; 382, 4: ‘Sallustius in III historiarum.’

Quae si recte disputauimus, de locis Prisciani et de capite Gellii ita licebit iudicare, ut Gellii caput et Prisciani GL II 379, 2 K sqq. ipsam Probi doctrinam et disputationem exhibere affirmemus, inferiore uero loco 392, 6 — 393, 10 Priscianum descriptsse disputationem Capri qui primo loco inter auctores nominetur et qui ipse Probi copiis usus esse putetur (Charis. GL I 118, 1 K; cf. G. Keil, de Flauio Capro grammatico quae stionum capita II, diss. phil. Halens. XI p. 293 sq.).

Probus ergo, ut ex supra dictis locis colligitur, uerba communia esse statuebat ea quae passiua tantum figura declinarentur, duplcem uero significationem, et agentis et patientis, admitterent.

Atque eadem definitio legitur apud Charisium GL I 165, 4 K, nec non apud Diomedem GL I 337, 15 K.

Verum pluris interest qua proprietate quasi distinctionis nota usus sit Valerius Probus in discernendis uerbis deponentibus et communibus; nam ambigi hac de re a grammaticis solere docent uerba Prisciani 379, 12. Atque Gellius ‘testor’ et ‘interpretor’ hac de causa communia esse affirmat, quod illa participium

1) Unus alienus est 381, 2 Petronius, ita ut recte dubitaueris an sit Petronius Arbiter. Id quoque oportet consideremus, in uerborum enumeratione apud Priscianum composita potius afferri, cum Probus simplicia uerba attulerit. Tota haec de uerbis communibus disputatione Prisciani conferenda est cum simili loco GL II 566, 28—568, 6 K.

perfectum passiuia significatione figurare possint. Eadem ratio cernitur in Prisciani loco, ubi, ut euincatur agi reuera de uerbis communibus, participia perfecta passiuia uerborum afferuntur addita translatione Graeca, quo magis sensus passiuus appareat. Qua in re hoc admonendum est uersionem Graecam interpretationis loco additam Probum auctorem indicare qui idem fecisse traditur apud Diomedem 364, 28: ‘manduco, manducaui (id estedo); proprie autem est quod Graeci dicunt μασσωμαι, hoc est identidem mando, ideoque Probus negat recte dici piscem uel aliud tenerum quid manduco sed potius edo quod significat εογιω.’

Hoc modo cognita ratione Probi licebit diiudicare quae inter uarias uerbi deponentis definitiones, quae apud grammaticos reperiuntur, Probo adtribuenda sit: ea scilicet quae uerbum deponens id esse affirmet quod significationem deponat passiuam, quam commune uerbum praeter actiuam contineat, uelut in Diomede GL I 337, 30 K: ‘placuit itaque aliis ea deponentia dici, quod una significatione deposita a communi separantur.’ Sed ea quae apud Pompeium GL V 259, 37 K legitur definitio Probo adtributa, sane digna est quae diligenter consideretur: ‘nam falso dicunt, habes hoc in Probo, falsum est, dicit, quod dicunt uerbum deponens esse ab eo quod non deponat r litteram quasi οντα ἀριστησαντ, quo modo dicimus Parcas ab eo quod non parcant, quo modo dicimus lucum ab eo quod non luceat; sic et deponens. falsum est. nam incipies et commune uerbum deponens dicere: nam et commune uerbum r litteram non deponit. ergo deponens dictum est re uera ab eo quod deponat unum participium quod in dus exit.’ Hanc explicationem praecedit disputatio de ui atque significatione participiorum¹⁾, participia scilicet praesentia et futura actiuae significationi, praeterita et futura passiuae significationi propria esse; unde facile intellegimus illam definitionem Pompeianam Probo adtributam, re uera omnino congruere cum illa Probianam quam exhibere Diomedem 337, 30 supra docuimus (nam idem ualere uidetur deponere significationem passiuam uel eam formam qua maxime uis atque significatio passiuia contineatur)²⁾. Hoc tantum interest, quod Probus ipse

1) huic quoque loco in codice Ambrosiano L 22 additum est nomen Probi: cf. R. Sabbadini, Studi ital. di filol. class. XI (1903) p. 179.

2) Definitionem Probianam quam Diomedes seruauit (337, 30) et illam Pompei (259, 37) re uera necessitudine quadem coniunctam esse nescio an argumento non ex ipsa re, sed aliunde petito confirmetur: utriusque enim uelut exemplum subiectum est uerbum ‘loquor’.

(apud Gell. XV 13, 7 sq. et Prisc. 379, 14 sq.) *participium*, quo significatio passiuia ostenderetur, perfectum posuerit, cum apud Pompeium *participium* in *dus* suppositum sit. Neque quemquam fugit cur hoc factum sit. *Participium* perfectum tum demum significationem passiuam ostendere poterat, cum amplioris locutionis conexu comprehensum ambiguum fieri sensum non concederet. Hac ratione usus erat Probus teste Prisciano 379, 15 (. ‘veterum non improbanda auctoritas, a qua quae potuimus a diuersis colligere libris exempla proferamus’) addita insuper e more suo interpretatione Graeca. Atqui cum talis usus afferendi exempla et apponendae translationis Graecae omnino abhorreret a grammaticis aetatis Pompei, *participio* perfecto suppositum est *participium* in *dus*, quod quin passiuie usurpatum esset dubitari non poterat. Pompeius igitur Probi doctrinae uestigium seruauit, sed non nihil mutatum¹⁾.

Necdum res peracta est. Duo enim esse affirmauerat Probus (sicuti supra e uerbis Prisciani 379, 13 sqq. collegimus) quae uerbum commune ostenderent, quorum alterum esset *participium* perfectum passiuum de quo supra egimus, alterum ‘natura ipsius sensus’. Atque hac quoque in re, scilicet quod contendat genera uerborum definienda esse et ostendi ex sensu, uerus agnoscitur Probus qualis apparebat apud Seruium in adnotatione ad Aen. I 194: ‘PARTITVR Sallustius (Iug. 43, 1) ait “prouincias inter se partierant”, nam et partio et partior dicimus: et est uerbum de his quae cum utramque recipient declinationem pro nostra uoluntate, actiuae tamen sunt significationis, ut punio punior, fabrico fabricor, lauo lauor, quamquam temptauerit Probus facere differentiam inter actiuam passiuamque significationem, ut dicamus tondeo alterum, tondeor ab altero: sed hoc in aliis uerbis dicere non possumus, ut fabrico fabricor, pasco pascor; nam legimus (buc. I 54) “florem depasta salicti” et (ge. III 314) “pascuntur uero dumos”. Haec doctrina Probi seruata est in Seruui (Sergii) comm. in Donatum

1) Cuius rei, Pompeium uidelicet Berytii doctrinam non nunquam deprauatam exhibere, luculentissimum exstat exemplum. Nam quae apud Pompeium tradita sunt 156, 27 ‘et hoc Probus sequitur et ait sic ‘omnia ad uerbia uel omnes particulae quaecumque sunt quae habent sensum augentis, non iungenda sunt nec comparatiuo nec superlatiuo, sed tantum modo positiuo’, haec in codice Ambrosiano quem supra dixi (p. 147 adn. 1) sic leguntur: ‘Probus addit: “satis” et “plus” abundanter etiam comparatiuo iungenda”, sed qui uult puram orationem scribere positiuo iungat’ (l. c. p. 174). Hanc obseruationem proprius accedere ad rationem Probi quam illam superiorem, docet adnotatio ad Andr. I 1, 28_s (uide p. 139).

GL IV 437, 25 K: ‘uerba quorum declinatio in nostra potestate est sunt haec, tondeo lauo fabrico punio et reliqua. uerum tamen debemus secundum naturam actuum uel actuum uel passuum praesumere in declinatione ut “ego lauor” “balneum lauat”; quando ego capillos depono, ut dicam “tondeor”, quando alteri capillos detraho, ut “tondeo”; ubi illud ‘secundum naturam actuum . . . declinatione’ omnino congruit cum illo quod apud Priscianum legitur: ‘natura sensus’, ita ut de Probo auctore Prisciani iam non dubitare liceat.

Huius quaestionis, scilicet de dubia uerborum positione, specimen seruatum est apud Gellium XVIII 12, quod caput Probo tribuerunt post Mercklinum et Kretzschmerum uno consensu omnes uiri docti¹⁾.

Kretzschmerus (p. 88) ‘Priscianum 396, 15 sqq. similem quaestionem e superiore nectentem cum nostro rarius conuenire’ ostendit, quem concentum Gellii et Prisciani hac in quaestione de genere uerborum uestigia Probi indicare supra demonstrauimus (p. 145). Deinde Kretzschmerus illam quam supra dixi adnotationem Seruui ad Aen. I 194 contulit, ubi uero miratus est uerba Seruiana apud Gellium non inueniri. Atque rem ita expediuuit, ut subsidia peteret ex Nonii thesauro qui profecto (p. 470 sqq. M) uerba et Gelliana et Seruiana exhibit. Nonium uero Probo usum esse probabiliter affirmauit, eique assensus est M. Hertz, ‘A. Gellius u. Nonius Marcellus’, Fleckeis. ann. VIII (1862) p. 705, 779, 872. Ribbeckius totum caput septimum Nonii, de contrariis generibus uerborum ‘ex Valerii Probi horreis desumptum esse’ sibi persuasit (Proleg. p. 147).

GELLIVS XV 15.

Kretzschmerus (l. s. p. 86 sqq.) Probum auctorem huius capititis esse sibi persuasit conlatis Diomede et Prisciano. Atque Diomedes GL I 377, 21 K haec tradit: ‘Sunt quaedam uerba r littera terminata ex diuersa positione deriuata quae eadem sortiuntur perfecta, ut pandor panderis; exigebat analogia ut pansus dicamus, sed passus dicimus, ut Vergilius (Aen. I 480): “crinibus Iliades passis” item patior pateris passus sum. uertor uerteris uersus sum, ut (Aen. IX 609): “uersaque iuuencum terga fatigamus hasta”

1) excepto Beckio (Studia Gelliana et Pliniana, Fleckeis. annal. suppl. XIX [1892] p. 14) qui hanc disputationem Plinio vindicat (Hosius ed. Gell. praef. p. LV).

item uerror uerreris uersus sum, Vergilius (Aen. I 478): “et uersa puluis inscribitur hasta.” melius est enim tracta intellegere quam inuersa.’ Prisciani (GL II 519, 21 K) uero uerba sunt haec: “cedo” etiam “cessum” et “pando” “passum” faciunt, quamvis etiam a “patior” et a “pateo” “passum” dicimus. unde Vergilius in III (263):

At pater Anchises passis de litore palmis.

idem in I (480):

Crinibus Iliades passis peplumque ferebant.’

Qua ex conlatione cum appareat Priscianum haec non ab ipso Diomede accepisse, ideo quod nec praecedentia nec sequentia cum illo concinunt et uerbum ‘pateo’ et prior Vergilii uersus frustra apud Diomedem requirantur, uterque grammaticus ex eodem fonte hausisse uidetur, quem Kretzschmerus Valerium Probum esse adffirmat. Obstat autem uidebatur, quod exempla Gellii non consentirent cum exemplis Diomedis et Prisciani. Quem scrupulum euellere sibi uisus est uir doctus conlatis iis quae de eodem participio ‘passus’ tradidit Nonius p. 370 M: ‘PASSVM perpessum. Vergilius Aen. lib. I (199):

o passi grauiora!

PASSVM dispersum solutum. Vergilius Aen. lib. I (480):

crinibus Iliades passis.

Terentius in Phormione (106):

capillus passus, nudus pes, ipsa horrida.

Caecilius Synaristosis (u. 197 R):

heri uero prospexitse (se) eum (ex tegulis)
(haec nuntiasse et flammeum) expassum domi.

PASSVM extensum, patens: unde et passus dicimus, quod gressibus mutuis pedes patescunt. Ennius Annalium lib. X (364):

aegro corde comis . . .

. passis late palmis pater

‘passis’ ait ‘palmis’ patentibus et extensis. Naeuius Iphigenia (16 R):
passo uelo uicinum aquilone † hortum fer foras.

Etenim cum hic grammaticus exempla Gellii Diomedis Prisciani quodammodo congestos exhiberet (praeterea, id quod Kretzschmerum fugit, Gellii uerba § 3 “passis manibus” et “uelis passis” dicimus’ repetunt Noniana exempla Naeuii [‘passo uelo uicinum e. q. s.’] et Ennii [‘passis late palmis’]), Kretzschmerus

collegit Gellii Diomedis Nonii Prisciani unum fuisse fontem illumque esse Valerium Probum. Coniectura Kretzschmeri, cui adsensi sunt Ribbeckius in Proleg. p. 147 et Steupius l. s., p. 197 ualido argumento confirmari potest.

In Seruui enim commentario ad Aen. I 480, quem uersum Nonius Diomedes Priscianus afferunt, leguntur haec: "PASSIS participium est ab eo quod est 'pandor'. ideo autem non facit 'pansus', quia plerumque 'n' quod in prima uerbi positione inuenitur, in praeterito participio non est. de qua re euphonia iudicat, ut ab eo quod est 'tundor' et 'tunsus' facit, ut (A. I 481) 'tunsae pectora palmis' et 'tusus' ut (A. I 567) 'non obtusa adeo gestamus pectora Poeni.' sciendum tamen est, licet alia euphoniae causa varientur uel in generibus uel in numeris, 'nactus' tamen et 'passus' 'n' penitus numquam accipere."

Quam disputationem integrum Valerio Probo adtribuendam esse, argumentis confirmatur his: non definitiones grammaticorum, sed «euphoniam iudicare» de recta dicendi ratione affirmauerat Probus apud Gellium XIII 21, quod caput totum est de uariis nominum generibus quae singulis locis pro sonus uocalitate praeferenda sint; atque haec Probi ratio aperte relata est uerbis Seruianis 'licet alia euphoniae causa uariantur uel in generibus uel in numeris'. Denique ut omnis remota sit dubitatio, ea quae leguntur in fine: 'nactus' tamen et 'passus' 'n' penitus numquam accipere, sententiam Probi esse confirmatur a Prisciano GL II 513, 7 K: 'nanciscor etiam nactum facit absque n, ut Probo et Capro et Pollioni et Plinio placet.'

Confirmatum igitur est Seruui Gellii Nonii auctorem esse Valerium Probum eodemque usos esse Diomedem et Priscianum. Iam quid inde efficiatur demonstremus. Etenim in Donati commentario ad uersum Phormionis I 2, 56, quem uersum Nonius et Gellius testes sunt Probum exempli loco attulisse, adnotata leguntur haec: '1 CAPILLVS PASSVS singularem numerum pro plurali posuit. Sic et alibi (Heaut. II 3, 49) "capillus pexus, prolixus, circum caput reiectus neglegenter" 2 PASSVS temere dispersus, ut pars magna. a Graeca oratione profluxit haec dictio.' Vbi illud 'temere dispersus' ex eodem fonte fluxisse apparent atque illud Nonianum 370, 12 M 'PASSVM dispersum'; atque plane illud 'a Graeca oratione profluxit haec dictio' redolet Valerium Probum, quem ubique similitudinem dictionum Graecarum et Latinarum obseruauisse iterum atque iterum cognouimus. Atque illa superiora 'singularem numerum pro plurali posuit' mire con-

gruunt cum iis quae in ipsa illa adnotatione Seruui ad Aen. I 480, de qua supra (p. 151) disputauimus, leguntur: 'alia euphoniae causa uariantur uel in generibus uel in numeris', ad quae propius accedunt illa apud Donatum 5 'CAPILLVS PASSVS NVDVS PES facetius, quam si pluraliter dixisset. Vergilius (Aen. V 402—3) "quibus acer Eryx in proelia suetus ferre manum"; ad quem uersum Seruius haec adnotauit: 'FERRE MANVM contendere: nam utraque manus armatur. et manum pro manus'. Eodemque spectant quae in Seruio ad Aen. I 44 adnotata sunt 'Probus et "tempore" legit, ut ipse (Aen. IX 585) "liquefacto tempora plumbo" et singulare nomen pro plurali.'

Id quoque obseruandum est, his locis omnibus agi de partibus corporis, de capillo, pede, manu, tempore; ita ut non dubitandum sit quin omnes hae obseruationes ad eundem grammaticum referendae sint quem Valerium Probum esse cognouimus.

Sed maioris etiam momenti sunt quae sequuntur. Etenim apud Nonium (p. 370 M) iis quae de participio 'passum per pessum' et 'passum dispersum' afferuntur, inclusa est obseruatio haec: 'PASSVM dicitur genus liquoris, quod ex uua passa cogitur. Vergilius in Georg. lib. II (93):

'et passo sithia utilior.'

id est: auctor Nonii homonymum nomen contulit homonymo participio. Quae observatio cum omnino ab arguento non aliena sit, immo necessitudine quadam, similitudine scilicet figurae, coniuncta sit cum reliquis, probabiliter conieceris eam non temere a librario quodam disputationi immissam, sed ad eundem auctorem referendam esse atque reliqua, Valerium dico Probum.

Quam coniecturam arguento probare licet. Nam Valerium Probum eiusmodi homonyma sedulo obseruauisse, supra demonstratum est ad Gell. cap. VII 16 p. 138.

Id quoque, si Gellii Nonii Seruui Diomedis Prisciani locos quos omnes doctrinam Probi exhibere intelleximus consideraueris, admonere oportet neminem hac in re exscripsisse alterum, sed unumquemque Probum ipsum adiisse uideri. Apparet praeterea hanc obseruationem quasi fundamentum subesse: eandem participii perfecti formam nonnunquam dici a diuersa positione uerborum differentium. Atque suspicari potuerit quispiam non satis habuisse Probum id genus obseruationem fecisse in uno uerbo 'passus', sed alia quoque uerba in comparationem uocauisse. Tale quid iam Ribbeckius coniecssisse uidetur cum dicat in Prol. ad Verg. p. 147: 'de quo (participio 'passus') . . . certe in

grammatico aliquo commentario, non ubi interpretis munere fungebatur, egisse putandus est.'

Quae uiri docti opinio mirum in modum comprobatur conlatis tribus locis Charisii Diomedis Macrobi, ubi haec de participio 'passus' obseruatio coniuncta legitur cum aliis uerbis quae eandem proprietatem exhibere uidentur.

Atque quae apud Macrobi in excerptis GL V 606, 35 K leguntur, sunt haec: 'Frigeo frixi facit a secunda coniugatione, frigo uero frixi a tertia, unde frixum frixorum, id est calefactorium. similiter aceo aces acui. unde inchoatiuum acesco, et acuo acuis acui; fero tuli et tollo tuli, sustulo sustuli adtulo adtuli: Accius uero in Andromeda (u. 102 R) etiam ex eo quod est tulo quasi a themate tulat declinat 'nisi quod tua facultas nobis tulat operam': uertor et uerror uersus sum; patior et pandor passus sum, non pansus: Vergilius (Aen. I 480; II 403) 'passis crinibus': explico (explicui, quia plico plicui; sed Cicero pro Tullio 'explicauit' ait.

Diomedis uerba sunt haec (GL I 371, 27 K): 'Sunt quaedam perfecta a diuersis instantibus deriuata, ut aceo aces acui, acuo acuis acui; frigeo friges frixi, frigo frigis frixi; lugeo luges luxi, luceo luces, luxi; fulcio fulcis fulsi, fulgeo fulges fulsi; cerno cernis creui, cresco crescis creui; paueo paues paui, pasco pascis paui [pauio pauis paui]; sisto sistis steti, sto stas steti; consisto consistis constiti, consto constas constiti; fero fers tuli (et tetuli dicitur, ut Terentius (Andr. IV 5, 13):

huc tetulisse pedem)

tollo tollis tuli, quod in consuetudine sustuli facit; eius tamen perfecti instans apud ueteres sustulo dicitur: pendo pendis pependi, pendeo, pendes, pependi; conperio conperii, conpereo conperii. sed accentu discernitur sensus. acuto enim accentu profertur, quotiens pro eo accipitur quod est rescii: conpereram enim facit. conperii uero circumflexo accentu declinatur, quotiens pro eo accipitur quod est cum alio perii: conperieram enim facit.'

Atque adiungenda sunt hic quae proferuntur GL I 377, 21 K de uerbo 'passus' et 'uersus' quae supra descripta sunt p. 149.

Charisii locus 247, 22 sqq. parum a Diomede differt.

Quibus in disputationibus praeter illa quae de participio perfecto 'passus' referuntur, alia uestigia Probi apparent. Velut ad illud Diomedis 371, 29 'fulcio fulcis fulsi, fulgeo fulges fulsi' optime quadrant quae Priscianus de Probo tradit 539, 1: "fulcio fulsi" quod et Probo placet, quamvis alii differentiae causa "fulxi"

posuerunt; e quo intellegitur qua ratione uersatus sit Probus in hac quaestione, obstitisse scilicet eum differentiarum auctoribus, quorum subtilissimus erat Plinius teste Charisio. Deinde cum legeris illud Charisii 247, 29 et Diomedis 372, 4 ‘eius tamen perfecti instans apud ueteres sustulo dicitur’ menti succurrit illud Sergii (in explanatione Donati GL IV 557, 19 K) ‘Probus non posuit «suffero»’¹⁾. Et omnino apud Macrobius 606, 38 ratio, qua disputatum est de uerbo ‘tollo’ allato exemplo Accii, prorsus Probo conuenit. Ceterum ea quae praecedunt in Macrobio ‘fero tuli et tollo tuli, sustulo sustuli adtulo adtuli,’ pariter proferuntur apud Diomedem 380, 11 in capite ‘de his quae ex se non habent perfecta sed ex proximis’, quod lemma aperte indicat fontem, unde tota haec quaestio quam tractamus hausta sit, scilicet ex Valerii Probi libro ‘de dubio perfecto’. Totam uerum partem artis Diomedis, quae est de uerbo, secundum Probum conscriptam esse suspicatus est argumentisque probauit Henr. Keil GL I praef. p. LIV.

Atque adeo quae de simili perfecto uerborum ‘frigeo’ et ‘frigo’ proferuntur, ut Probo tribuamus argumenta sunt quae suadent. Nam Probum egisse de uerbis ‘frigeo’ et ‘frigo’ inde efficitur quod ratio qua de his uerbis actum est apud Nonium — quem Valerio Probo usum esse supra cognouimus (p. 149) — plane cum ea consentit quam Berytio propriam fuisse compertum habemus: distinxisse scilicet eum significationes dictionum earumque uim secundum accentus naturam.

Etenim verba ‘frigeo’ et ‘frigo’ tribus locis Nonii inueniuntur qui tamen ita inter se cohaerent, ut appareat Nonium secundum argumenta dispersisse locos quos in auctore coniunctos inuenerat. Quorum primus est hic (p. 7 M.):

‘FRIGERE est, et FRIGVTTIRE et FRITINNIRE sussilire cum sono uel erigi et excitari, quod quaecumque friguntur uel frigent nimio calore uel frigore, cum sono sussiliunt.

Plautus Casina (267):

... nam quid friguttis? quid istuc tam cupide cupis?

Varro Virgula Divina (565 Buech.):

et pullos peperit fritinentis.

1) et sequitur ‘capio facit suscipio’. Toti loco conferas quae Cornutus exhibet (apud Cassiodor. GL VII 151, 20 K): ‘est ubi b, quod uix credibile est, in s cogatur, ut suscipio sustinere, suspendere, suscitare, et quod antiqui dixerunt sustollere, nos praeterito sustuli.’

idem *"Oros λίγας* (365 Buech.):

saepe totius theatri tibiis crebro flectendo
commutare mentes frigi animos eorum.'

ubi ita disputatum est de uerbis 'frigeo' et 'frigo', ut appareat
ueram inter ea non intercedere differentiam. Id tantum de-
monstratur, cum significatione uerbi coniunctam esse aut sensum
frigoris aut caloris.

Audi nunc quae porro traduntur apud Nonium (p. 110 M):
FRIGET frigidum est. Vergilius lib. VI (219):

'corpusque lauant frigentis et ungunt.'

Terentius Phorm. (994):

abi, tange. si non totus friget, me enica.'

(p. 308 M): 'FRIGIT correpta syllaba significat erigit.
Accius Meleagro (461 R):

frigit fricantem corpus atrum occulte abstruso in flumine.

idem in eadem (443):

frigit
saetas, rubore ex oculis fulgens flammeo.

Frigere est et friguttire cum sono sussilire. Plautus Casina
(267):

nam quid friguttis? nam quid istud cupide petis?

Afranius Priuigno (245 R):

occasione capta mulier inuolat
in collum, plorat, orat: occurrit nepos
pausillus; neptis porro de lecto frigit.'

Priore loco numeri docent litteram 'i' natura longam circum-
flexe pronuntiandam esse, in uerbo 'frigit' uero auctor Nonii
ipse dicit correptam esse syllabam et propterea significatum
mutari. Exempla autem posuit talia quibus procul dubio appareat
fri-syllabam breuem esse, scilicet cum posita reperiatur in paen-
ultima senarii quae sola est quam nunquam produxerunt Latini.
Grammaticum agnoscis metricae rationis, quam sequebantur
ueteres fabularum poetae, peritum. Atque, praeter Valerium
Probum, alium grammaticum docuisse accentu sensum discerni,
traditum non est; immo obstiterunt grammatici hac in re Berytio
(cf. Seruui adn. ad Aen. III 3).

Atque rursus consideres quae Macrobius tradit: 'Frigeo frixi
facit a secunda coniugatione, frigo uero frixi a tertia, unde frixum
frisorium, id est calefactorium', ubi aperte ea quae in Nonio

indicata erat distinctio, frigoris scilicet et caloris, demonstratur. Atque eiusmodi accentus et mensurae distinctiones ab hac quaestione de simili perfecto omnino non alienas esse docet ipse quoque hic Diomedis locus, de quo agimus (372, 4), ubi simile perfectum ‘conperii’ a uerbis ‘conpereo’ et ‘conperio’ dictum distinguitur accentu.

Iam concedes, recte nos iudicauisse haec Diomedis et Macrobi excerpta ex Valerii Probi Berytii commentario et doctrina sumpta esse. At Charisius, qui locos apud Diomedem dispersos omissis exemplis ueterum in unum contractos exhibit, qui illud ‘pansum’ quod analogia exigebat (Diom. GL I 377, 22 K), Probus uero admittere noluit, accepit, manum posterioris aetate grammatici ostendit qui Probi copias retractauerit.